922.2
M34c

FAUSTI ANTONII

MARONI

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

922.2
M34c

Rare Book & Special
Collections Library

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/faustiantoniimar00maro

auximum
olimo.

FAUSTI ANTONII MARONI

EX CL. REG. SCHOL. PIARUM

COMMENTARIUS

DE ECCLESIA *ET* EPISCOPIS AUXIMATIBUS

IN QUO

UGHELLIANA SERIES

EMENDATUR, CONTINUATUR, ILLUSTRATUR.

AUXIMI MDCCLXII.

Typis Dominici Antonii Quercetti Impreſſ. Epiſcopalis ac Publici

PRÆSIDUM PERMISSU.

Donato Arcangeli

122.2
N34c

POMPEJO
COMPAGNONIO
Auximatium, & Cingulanorum Epiſcopo

FAUSTUS ANTONIUS MARONUS EX CL. REG. SCHOL. PIARUM
FELICITATEM.

SI quis eſt, qui forte putet, me tibi, PRÆSUL AMPLISSIME, inſcriptum propterea voluiſſe commentarium hunc meum, quod, cum totus de Eccleſia, & Epiſcopis Auximatibus ſit, Auximati Epiſcopo debeatur, is profecto etſi omnino non fallitur, veram certe, putamque inſtituti mei rationem non eſt aſſecutus. Impudentiſſimus ſim, ſi tuam iſtam Auximatis Epiſ-

copi

CAVAGNA LIBRARY

copi vel perſonam, vel dignitatem in te tanti non faciam, quanti nemo unquam maxime: eidemque & cultum, & rationem omnem, quantum in me eſt, habendam eſſe minime exiſtimem; fateri tamen cogor ingenue, ita me comparatum eſſe a natura, ut, cum de Epiſcopis agitur, majorem inferri mihi vim ſentiam ab eorum virtutibus, quibus dignitatem illuſtrant, & ex ſplendida ſplendidiſſimam faciunt, quam ab ipſamet dignitate, qua cæteros antecellunt. Populis auctoritate Epiſcopali etiam cum laude præeſſe, multorum eſt: ita Epiſcopum agere, ut nihil in eo eorum deſideres, quæ Patres, quæ Apoſtolus, quæ ſacra requirunt Concilia, paucorum. Intelligis jam, PRÆSUL AMPLISSIME, quorſum mea tendat oratio: quæque vera me impulerit ratio, ut hunc commentarium tuo nomini nuncuparem, meque in tutelam tuam recipi avidiſſime cuperem. Voluntati, modeſtiæque tuæ morem geſturus plura non proſequor. Remanet, ut votis meis, qua ſoles humanitate & benignitate reſpondeas.

DE ECCLESIA
ET
Epiſcopis Auximanis.

I. EA prætermiſſa importuna quæſtione, quam cum Cluverio (1) excitavit Ughellius, utra civitas in Piceno præſtantior, Auximum ne, an Aſculum fuerit (2); in qua quidem dirimenda utrique facile poterat ſatisfacere, ſi tempora diſtinxiſſet, neque abuti maluiſſet cum eodem Cluverio auctoritate Flori *gentis caput Aſculum* affirmantis (3), cum certum ſit, eo loci de Aſculo Picenorum, ſive Picentium Apulorum, non de Aſculo, quod eſt ad fluvium Truentum in Aprutii confinibus, eſſe locutum (4), idque ab urbe condita anno circiter 484. ſæculis ferme decem ante ea gothica tempora, quibus Auximum *urbium Piceni Metropolis* dictum eſt a Procopio (5): ea, inquam, prætermiſſa-

(1) Lib 2. cap. 42: de Ital. antiq.
(2) In proœm. Auxim. Epiſc. tom. 1. Ital. Sac.
(3) Lib. 1. cap. 19.
(4) Verba Flori ſunt hæc: *Domiti hinc Picentes* [ſcilicet poſt captum Tarentum] & *caput gentis Aſculum P. Sempronio Duce*. Sermo autem ibi eſt de iis populis, qui Pyrrum, & Tarentinos bello juverant contra Romanos, enumeratis, qui poſtea in triumphum ducti ex Italis ſunt, Brutiis, Apulis, & Lucanis, ut ex cap. ſuperior. 18. Porro Aſculum, quod eſt ad Truentum, nemini ex iis populis accenſeri poteſt. Accenſetur vero Aſculum, quod eſt in Apulia Daunia. Vide Lexicon Baudrand verbo *Aſculum*.
(5) *Lib. 2. de bello goth.*, cujus textum ita ex Græco convertunt Olaus magnus, Joannes Alanus, Jornandes, alijque = Quam [*urbem Auximum*] ſatis conſtat in agro Piceno præſtantiorem cæteris eſſe, quippe quam Romani Metropolim vocant. *Conſule Martorellium in lib. monum. hiſtoric. Civitatis Auximi cap. 3. pag. 18. & 19.*

Quando Auximum invecta fuerit Chriſtiana Religio: Sæculo ne ſolum V., an ſuperioribus.

quæſtione, quæ certe præſentis non eſt inſtituti, a primis Religionis Chriſtianæ principiis in eadem urbe ſermonem inſtituo. Quando Evangelii luce cœperit illuſtrari plane non conſtat, mihique ex eo capite videretur hæc civitas plurimum commendanda, quod actis & narrationibus ex ingenio confictis non contendat, cathedram Epiſcopalem a primis Apoſtolorum temporibus ibi fuiſſe fundatam, ſicuti pleræque faciunt ex inanis cujuſdam gloriæ libidine, niſi in aliud extremum ſe projeciſſet æque vitioſum. Pervagata ſiquidem fuit apud ipſoſmet Auximates, pluresque eorum Scriptores opinio, non ſolum honore Epiſcopalis cathedræ caruiſſe ante ſæculum V., ſed ne ad excipiendam quidem Evangelii lucem ante illud tempus majores ſuos oculos aperuiſſe (1). In qua quidem re quis illis fidem adhibeat? Quis ſibi perſuadeat in tanta Chriſtianorum frequentia, quanta fuiſſe perhibetur ſuperioribus ſæculis in Umbria, in Tuſcia, in Æmilia, in ipſo Piceno (2); in tanta Martyrum copia, qui vicinas urbes, ipſumque met Auximum ſuo ſanguine fœcundaverant (3); in tanto Epiſcoporum numero, qui fidem cum in Annonarium, tum in Suburbicarium Picenum invexerant (4); in tanta fidei propagatione cum ante, tum maxime imperantibus Conſtantino, filiiſque, unam urbem Auximum ſic fuiſſe ſplendoribus ejuſdem imperviam, adeoque difficilem penetratu, ut ſæculo ſolum V. illuſtrari potuerit?

II. Si Ughellium audiamus, ex martyrio, quod Auximi feliciter conſummarunt Diocletiani temporibus Sancti

SISI-

(1) Ita teſtatur eruditiſſimus vir Dominicus Pannellius Presbyter Eccleſ. Auxim. in opere præclariſſimo, cui titulus *Memorie di S. Leopardo Veſcovo d' Oſimo*, *in præliminari diſſertatione pag.* 1. *not.* 1. ubi aliquos etiam ſcriptores recenſet, qui falſam hanc opinionem hauſerant ex apocryphis quibuſdam lectionibus, ſive actis S. Leopardi, quorum uſus erat antiquitus in Eccleſ. Auximana, in quibus id clare affirmatur. Conſule etiam *caput* 1. *dictæ diſſertationis not.* 3., *& ſeqq.*

(2) Conſule eruditiſs. F. Thomæ M. Mamachii *tom.* 2. *orig. & antiq. Chriſtianarum lib.* 2. *cap.* 21. *&* 22.

(3) Conſule Compagnon. in Regia Picena *lib.* 7. *pag.* 345. *edit.* 1661., qui Martyres etiam habuiſſe jam uſque a primo ſæculo Picenum ſcribit.

(4) Epiſcopos ſaltem regionarios in Piceno primis etiam ſæculis nec Marangonius negavit, qui contendit, Picenum ante quintum ſæculum peculiaribus Epiſcopis, peculiaribus diſtinctiſque ſedibus deſtinatis caruiſſe, in ſuo libro, cui titulus *Memorie di Civitanova*, *lib.* 1. *cap.* 11. Quem confutat nervoſe Pannellius *libro laud. cap.* 3. *diſſert. prælim.*

SISINIUS, *DIOCLETIUS*, *atque* *FLORENTIUS* *conjectura eſſe poteſt*, *tunc ipſum Auximum lucem Evangelicam hauſiſſe*, *cum cæteri Picenates ab Apoſtolorum diſcipulis ad Chriſtum perducti fuiſſent* (1). Aliquanto erga Auximates Ughellius eſt largior, quam ipſimet fuerint erga ſe. Non ita tamen, ut multas illi habere debeant gratias. Ita ne vero lux Evangelii, quæ cæterorum Picenatium corda pervadere potuit a primis uſque temporibus, ſolis ſic fuit Auximatibus inacceſſa, ut ad unum omnes ad tempora uſque Diocletiani in tenebris, & mortis umbra remanſerint? Atqui Sancti illi Martyres ſecum *alios plurimos*, *cum quibus vacabant Deo & Chriſti laudibus*, Auximi habuiſſe dicuntur (2). Plures igitur invenerant Auximi Chriſti cultores. Neque enim *plurimi illi* ex iis fuiſſe dicendi ſunt ſinguli, quos ad Fidem ipſi Sancti Martyres convertiſſent. Nam, præterquam quod nulla fit in eorum actis de converſis ad fidem gentilibus mentio, illud etiam debet animadverti, Sanctos Martyres Auximi fuiſſe per tres annos *ſine moleſtia converſantes*, & adeo a nullo Religionis Chriſtianæ accuſatos, ut non niſi ex oraculi cujuſdam vocibus manifeſtati perhibeantur, dicanturque *hoc ordine ad palmam perveniſſe martyrii* (3). An iis ita tranquille Auximi vivere, & converſari licuiſſet, nullamque ethnicorum præcipue Sacerdotum invidiam contra ſe concitaſſent, *ſi ii plurimi* eorum opera ſinguli Chriſto dediſſent nomen? A tempore igitur ſuperiori radices jam jecerat Auximi Chriſtiana Religio. Quod ſi verum eſt, ſequitur plane, amplificari poſtea debuiſſe mirum in modum ſæculo IV. Martyrum horum ſanguine fœcundatam; cum ſanguis eorum ſemen & ipſum fuerit Chriſtianorum (4).

Quænam fuerit Ughellii opinio de primis Religionis Chriſtianæ principiis Auximi? Utrum probanda?

III. Itaque potius crediderim Idolorum cultum tribus primis ſæculis cum a multis aliis, tum ab his Sanctis Martyribus oppugnatum, ſæculo IV. Sancti Leopardi opera quam maxime debilitatum, & ad extrema redactum, initio tandem ſæculi V. omnino fuiſſe proſtratum, atque de-

(1) Loco laudato.
(2) In actis Sancti Anthimi, ubi de ejus ſociis Siſinio, Diocletio, & Florentio apud Bollandianos ad diem 11. Maji.
(3) In eorum actis ubi ſupra.
(4) Conſule Tertull. *cap.* 50. *Apol.* & *Theodoret. Serm.* 9.

deletum (1). Quod & Romæ, & in cæteris Italiæ urbibus, univerſoque Romano Imperio tunc diſcimus eveniſſe fauſte feliciterque, agentibus poſt Gratianum, & Theodoſium, ſuperioreſque aliquot Imperatores, Arcadio, & Honorio, qui ſeveris legibus Idolorum templa, ritus, cultores, Sacerdoteſque ubique prohibuerunt (2).

Unde ortū habuerit apud ipſoſmet Auximanos opinio de invecta Auximum Religione Chriſtiana ſeculo ſolum V.

IV. Tam ſeram Auximatium illuſtrationem ex actis, ſeu quibuſdam antiquis lectionibus colligunt, in quibus aſſeritur *Sanctus Leopardus* Auximum miſſus ab Innocentio I. Summo Pontifice, ut ethnicam ſuperſtitionem ibi pertinaciſſime adhuc imperitantem profligaret, eamque Eccleſiam primus ipſe fundaret eventu ſane fauſto, felicique. Ea vero acta ex aliis, neque unis aliorum Sanctorum actis ineptiſſime aſſuta cum ſint, maximiſque ſcateant anachroniſmis, atque antilogiis, tantum abeſt, ut fidem mereri debeant, ut ea cum viro Cl. Dominico Pannellio congeriem melius dixeris commentorum (3). Nihil in iis certi, nihil etiam fortaſſe veri, niſi quod Sanctus Leopardus Fidem Auximi propagaverit, fueritque ejuſdem Urbis Epiſcopus. Auximanus enim Sancti Leopardi Pontificatus non traditioni modo innititur antiquiſſimæ, & iis ipſis actis, ſive lectionibus multo vetuſtiori, ſed monumentis adeo certis, ut locus dubio ſubeſſe non poſſit. Inter quæ illa argentea lamina præteriri non debet, cum qua ejuſdem corpus inventum eſt, riteque recognitum anno 1755., Sanctum ipſum Leopardum repræſentans Pontificalibus ornamentis indutum, ut ſculptæ ibidem ſignificant literæ. Cum enim illa eadem lamina ſit, cum qua olim primo repertum fuerat idem Corpus anno 1296., ut indubia monumenta teſtantur (4); & actis publicis ea ipſa ætate

Auximanus *S. Leopardi* Epiſcopatus quam certis, antiquiſque monumentis innixus.

(1) Conſule Pannellium *lib. & diſſert. laud. cap.* 2. ex quo & prædicta & alia plura deſumpſimus.

(2) Conſule Mamachium *tom.* 2. *orig.*, *& antiquit. Chriſt. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 235., *& ſeq.* Conſule Baron. ad annos præcipue 399. & 415., alioſque Hiſtoricos Eccleſ., qui de Theodoſii ſenioris, de Arcadii, & Honorii, de Theodoſii junioris, aliorumque Imperatorum contra Idololatriam decretis multa diſſeruerunt.

(3) *Diſſert. prælim.*, *& monum. cap.* 6., in quo ſingula in iis lectionibus contenta ad examen criticum revocans, quot in iis inſulſa, abſurda, ridicula, a veritate aliena, & ſæculo ſolum XIV. conficta ſolide demonſtrat, & erudite.

(4) Ea vide apud Pannellium *lib. laud. cap.* 2. *monum.* ubi de invent. Corporis S. Leopardi.

ætate confectis illud quoque affirmetur; ante eum ipſum annum 1296. Sanctum illud Corpus tamdiu abſconditum jacuiſſe, ut nullum de eo ſupereſſet monumentum, nulla traditio; quam egregie confirmet traditionem Auximatium de Sancto Leopardo eorum Epiſcopo, nemo non videt. Occultatum non improbabiliter Pannellius conjicit ſæculo X., eoque tempore, quo, Ottone præſertim I. Imperatore Eccleſias Italicas Sanctorum Corporibus ſpoliante (1), unaquæque ea cautiſſime in locis ſubterraneis occultabat, & de Sacris iiſdem Corporibus, ne raperentur, ſibi conſulere ſatagebat. Cæterum veſtium Pontificalium forma & ornatus, clericalis coronæ modus & ſpecies, capillorum brevitas, capitis nuditas ſine mitra, aliaque multa, cum eam laminam cælatam fuiſſe ſignificent ſæculo ſaltem VIII. (2), certam referunt ad ea uſque tempora traditionem de Sancto Leopardo Auximatium Epiſcopo.

Quo ſæculo *S. Leopardus* Auximanam Eccleſiam fundaverit.

V. Ad ætatem vero quod ſpectat, qua *S. Leopardus* Idolorum cultu eliminato, Auximanam fundavit Eccleſiam, ea conjici quidem poteſt, certo ſtatui non poteſt. Hoc tamen videtur certum, S. Leopardum Auximatium Epiſcopum eum non eſſe, quem legimus ſub Innocentio I. Summo Pontifice floruiſſe, ut referunt Acta. Actorum auctor XIV. ſæculo non antiquior [Bonifacium enim VIII. nominat] ſibi hujuſce rei perſuaſionem induxit, poſteriſque commiſit, propterea quod animadverterit in vita S. Innocentii I. Summi Pontificis apud vulgatum Anaſtaſium vixiſſe Presbyterum quemdam nomine Leopardum, eumque in titulo Veſtinæ fundando, adminiſtrandoque S. Agnetis Templo ab Innocentio adhibitum, miſſumque ante Innocen-

Opinionis de Auximana Eccleſia per *Sanctum Leopardum* fundata ſæculo ſolum V. quis auctor; quæque ejus fuerint fūdamenta?

(1) *Cap.* 3. *monum. pag.* 17. De Ottone I. aut potius Theodorico, ſive Deodorico Metenſium Epiſcopo, qui auctoritate fretus Ottonis I. Conſobrini ſui ſacras reliquias undique colligebat in Monaſterium Sancti Vincentii in Metenſi Inſula a ſe conſtructum transferendas, conſule Mabillonium *tom.* 3. *Annal. Bened. lib.* 47. *num.* 53.

(2) Ex Pannellio *monum. cap.* 3. ubi animadvertit argenteam eam imaginem Sancti Leopardi ſimillimam in omnibus eſſe muſivæ illi Sancti Apollinaris imagini in ejus Templo Ravennæ, de qua agit vir præclariſſimus Abbas Sartius Ord. Camald. [cujus ego amicitia maxime glorior] in opere eruditiſſimo de veteri Caſula dyptica, & quam ære inciſam nobis exhibet *cap.* 2. *num.* 1. *pag.* 12., quamque haud multo poſt ſæculum VI. factam ex ejus forma conjectat.

centium una cum Creſcente, & Alexandro Legatum a Siricio Summo Pontifice Mediolanum ad Sanctum Ambroſium, alioſque Epiſcopos in Synodo congregatos (1). Cum igitur conſtans, & antiqua traditio ſemper fuiſſet in Eccleſia Auximana, a Sancto quodam nomine Leopardo Epiſcopo eam fuiſſe fundatam & rectam, neque, ut fit, compertum eſſet, monumentis amiſſis, quis ille fuiſſet, quidque egiſſet, factum eſt, ut Siricianum, & Innocentianum illum Leopardum Auximum Roma transferret auctor actorum, eumque proponeret, & vulgaret, tamquam qui Auximum poſtea venerit Innocentii ejuſdem juſſu Idolorum cultum profligaturus, & prima ejus Eccleſiæ fundamenta collocaturus. Id adeo verum eſt, ut ſi acta Innocentiana cum actis, & lectionibus illis conferas S. Leopardi, ea, quæ ſupra diximus, iiſdem quaſi verbis expreſſa in utriſque reperias (2). Quam vero fuerit hallucinatus, evidens eſt ex præclaro apud Panvinium, & Baronium monumento, quo diſcimus Leopardum illum Innocentianum ab Auximate omnino fuiſſe diverſum, Romæque in presbyterali dignitate defunctum, & ante Baſilicam S. Pudentianæ, ſive Paſtoris, cujus gerebat titulum, una cum Maximo pariter presbytero vel tumulatum, vel illuc aliquando translatum (3). Probabilius igitur opinabimur, ſi dicamus, Sanctum Leopardum ſæculo IV., imperante probabiliter Conſtantino, Auximanam Epiſcopalem

Sanctus Leopardus Auximanus Epiſcopus alius ab eo, quem floruiſſe legimus ſub Siricio & Innocētio I. Sūmis Pontificibus ſæculo V.

(1) Ex vita S. Innocentii I. in Pontificali Romano *num.* 3. *&* 7., *ex epiſt.* 7. Sancti Siricii *edit. Pariſ.* Petri Coutan. *tom.* 1. *pag.* 663., *ex epiſt.* 8. Sancti Ambroſii, & Synodi Mediol. ad Siricium *ejuſd. edit. pag.* 669., ex Baron. ad annum 390. *num.* 42.

(2) Conſule Pannell. *in laud. diſſert. cap.* 1. *pag.* 4. *&* 5.

(3) Conſule alteram ejuſdem Pannell. *diſſert. in appendice monum. pag.* 100., *& ſeqq.*, in qua ex Baronio ad annum 390. *num.* 42.; ex Panvinio de præcipuis urbis Romæ Eccleſiis *pag.* 267. *edit. Rom.* 1570.; ex Præſule Blanchinio *tom.* 2. *Anaſt. pag.* 125. *not. hiſt.* 6. *& pag.* 128.; ex Alphonſo Ciaccon. in vita S. Siricii, relatis quæ in vita S. Innocentii, & in epiſtolis Ss. Siricii, & Ambroſii referuntur de Leopardo, & Sociis, adductis etiam quibuſdam monumentorum fragmentis, quæ vel erant adhuc ætate Panvinii, vel adhuc ſuperſunt, probat 1. Leopardum Siricianum ab Innocentiano non fuiſſe diverſum. 2. Leopardum nunquam geſſiſſe titulum aut Ss. Gervaſii, & Protaſii, ſive Veſtinæ, & S. Vitalis, aut S. Agnetis, bene vero S. Pudentianæ, ſive Paſtoris. 3. In porticu S. Pudentianæ tumulatum, ſive potius poſt aliquod ab ejus obitu tempus illuc translatum, ſolutis difficultatibus, quas contra primum objiciunt Boſius, Aringhius, Piazza; contra vero tertium Hugonius.

palem Cathedram ſtabiliviſſe: quemadmodum per idem tempus ſtabilitæ pleræque ſunt per Italiam Eccleſiæ (1). Ad fidem huic opinioni faciendam illud in primis eſt præmittendum, Leopardum nullum ſibi ſuperiorem Epiſcopum Auximanum habere debuiſſe, quod pluribus oſtendi poteſt. Primo, quod hæc ſemper fuerit in Auximana Eccleſia conſtans, nec unquam in dubium vocata traditio, cui fides habenda, quando nil refragetur. Secundo, quod nullus unquam ab ullo fuerit memoratus, qui S. Leopardo vel in fundanda, vel in regenda Auximana Eccleſia præiverit. Tertio, quod ab omnibus retro ſæculis, ſi duo vel tria excipias proxime ſuperiora, Auximanum Princeps Templum a S. Leopardo fuerit denominatum, Deoque in ejus honorem habitum dedicatum juxta inſtitutum univerſali Eccleſiarum conſuetudine confirmatum, quo videmus, Princeps cujuſcunque Urbis Templum Deo in honorem primi inter Epiſcopos, ſi Sanctus fuerit, conſecratum. Quarto, quod Auximanus ipſe Epiſcopatus a S. Leopardo, ut habemus in actis publicis, frequentiſſimam denominationem haberet. Quinto denique, quod dies S. Leopardo ſacra diſtincta antiquitus ex omnibus fuerit per quam ſolemniter. (2).

Sanctus Leopardus fuit primus inter Epiſcopos Auximanos.

VI. Si autem dederis, fundatam fuiſſe a S. Leopardo omnium primo Auximanam Eccleſiam, ſequitur plane ſaltem, ut videtur, probabiliſſime, ad ſæculum IV. ſtatuendum eſſe ejuſdem Pontificatum. Cum enim Fidelium numerus Auximi eſſe debuerit ea ætate minime exiguus, ut obſervavimus, fueritque in Chriſtiana Republica conſuetudo, ut in iis Urbibus Sedes Epiſcopales collocarentur, quæ inter cæteras eminerent (3), quiſque facile intelligit, debuiſſe a Romanis Pontificibus religionis amplificandæ conſervandæque ſtudioſiſſimis eo Epiſcopum deſtinari, a quo Fideles ſacris paſcuis alerentur, Ethnici vero Evangelii luce perfuſi ad Chriſtum perducerentur.

Sanctus Leopardus Auximanam Eccleſiam fundavit ſæculo IV.

Norunt

(1) Conſule Canonicum Mazochium virum Cl. *de Kal. Neapol. vol.* 2. *pag.* 519.

(2) Conſule notam 6. ſequentis *num. VII.*

(3) Id adeo verum eſt, ut Sardicenſe, Laodicenum, & duo Carthaginenſia Concilia annor. 390, & 397. prohibuerint erigi Cath. Epiſc. in parvis Oppidis, & Caſtellis, quibus addi poteſt S. Leo *Epiſt.* 87. *cap.* 2. *vet. edit. Diſtinct.* 80. *C. illud ſane &c.*

Norunt ſcilicet omnes, Auximum Civium numero, bellicaque virtute, & amplitudine mœnium, & ſplendore ædificiorum, & opum copia, & loci arduitate, & agri ubertate fuiſſe clariſſimum, ut proinde a Procopio dictum merito fuerit ſequenti ſæculo cæterarum urbium in Piceno Metropolis, cæteriſque præſtantius (1). Non defuere tamen, qui non niſi ſæculo V. Piceni urbibus peculiares Epiſcopos deſtinatos fuiſſe crediderint (2). Opinionem vero hanc omni deſtitutam probabilitate Pannellius docet nervoſe, & erudite (3), noſque ipſi jam alibi confutavimus (4).

Opinio de Epiſcopis peculiaribus in Urbibus Piceni ſæculo ſolum V. conſtitutis falſa.

VII. Quæſtionem de ætate S. Leopardi primi Auximatium Epiſcopi altera proxime ſequitur de primo eorum Patrono, & de Templo Cathedrali Auximano, de quibus alia nunc eſt conſuetudo, & diſciplina in Auximana Eccleſia a veteri traditione, inſtitutoque longe diverſa. Immorandum igitur in hac paululum eſt. Patronum Auximatium principem habitum fuiſſe antiquis ſemper temporibus Sanctum Leopardum, ejuſque nomini devotum fuiſſe Auximanum Cathedrale Templum, imo Auximanum ipſum Epiſcopatum a Sancto ipſo Leopardo denominatum cum ex dictis, tum multo magis ex recitatis per Martorellium, Ughellium, Lucentium, atque Coletum literis, actiſque publicis, aliiſque a me paulo poſt memorandis ſic eſt manifeſtum, ut nihil magis. Factum tamen eſt ante duo proxima ſæcula, ut a ſua ſede primus ille hujus Eccleſiæ Fundator, quaſi fuiſſet falſis nominibus in poſſeſſionem immiſſus, immerito, ut mihi videtur, dejiceretur; & Sanctæ Theclæ honor hujuſmodi tribueretur. Hinc ſacra Sancto Leopardo dies, quæ tanta populorum frequentia, totque argumentis popularis quidem, ut ea ferebant tempora, ſed maximæ religionis celebrabatur, ut quæ erant oppida ſub Auximani populi poteſtate non pauca, Sancto Leopardo tamquam urbis atque

Primus Eccleſiæ, & Diœceſis Auximanæ Patronus præteritis ſæculis ſemper fuit *S. Leopardus*. Ab ejus nomine Cathedrale Templum una cum Epiſcopatu denominatum.

A duobus ſæculis diverſum inſtitutum invectum, deſignata *S. Thecla* prima Urbis, & Diœceſis Patrona. Quando, & per quem id factum?

(1) Conſule quid de Auximo Cæſar *in Commentariis*, *Vellejus lib.* 1., Plutarchus *in vita Pompeij*, Procopius *lib.* 2. *de bello goth.* Conſule Martorellium *de monum. hiſt. Auximi*, ubi antiqua ejus decora enarrat, & probat auctoritatibus, & monum. *lib.* 1. *cap.* 1. *& ſeqq.*
(2) Vide ſupra *not.* 11. *num.* 1.
(3) *In diſſ. prælim. cap.* 3. *pag.* 11.
(4) *In Comment. de Eccleſ. & Epiſ. Anconit. num.* 9.

atque ditionis domino tributa ea die publice pendere cogerentur (1); ea, inquam, dies ita defecit, ut & ſervilia opera permittantur, & a Clero duplici tantum ſecundæ, ut inquiunt, claſſis officio, quod aliis quoque commune eſt Sanctis Eccleſiæ hujus Epiſcopis, recolatur. Contra vero S. Theclæ dies omni agitur celebritate, ſervilibus operibus interdictis, inſtitutoque officio duplici primæ claſſis cum octava in univerſa Diœceſi (2). Veterem hanc conſuetudinem, & diſciplinam primum omnium interturbaviſſe Antonium Mariam Cardinalem Gallum Auximanum Epiſcopum XVI. labente ſæculo cenſuit Joannes Baldus (3). Hallucinatum tamen fuiſſe ex eo cognoſcimus, quod in Synodalibus conſtitutionibus, anno editis 1567. ab Auximano Epiſcopo Bernardino de Cuppis, Cathedralis Eccleſiæ titulum fuiſſe jam legimus Sanctæ Theclæ (4). Et vero Cardinalem illum Gallum Eccleſiæ titulum non immutaſſe, ſed unica Synodi auctoritate præceptam omnibus voluiſſe Sanctæ ejus Martyris feſtam diem, ex ipſa, quæ ab eodem celebrata fuit, Synodo diſcimus (5). Quod igitur de immutatæ diſciplinæ hujus ætate affirmare poſſumus tanquam certum id eſt, poſt inclinatum XV. ſæculum id eveniſſe. Anno enim 1461. Cathedrale templum Sancto Leopardo adhuc devotum aperte teſtatur Auximanus ejus ætatis Epiſcopus Zacchius (6). Anno vero 1567. titulum Sancti Leopardi immutatum jam in titulum Sanctæ Theclæ ex Synodo eo anno celebrata cognoſcimus (7).

 VIII. Qui-

(1) Conſule Martorell. *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 70. & *lib. III. cap.* 2. *pag.* 143., ubi videre eſt ad quod tributum inter cætera adigerentur Oppida Reipublicæ Auxim., & Eccl. S. Leopardi ſubjecta, die eidem S. Leopardo ſacra. Conſule Pannellium *cap.* 1. *monum. pag.* 2., *& ſeqq. cap.* 4. *pag.* 18., *& ſeqq. Cap.* 9. §. 5. *pag.* 98., *& alibi*.

(2) Ex relatione Paſtorali ad S. Congr. tranſmiſſa ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. Epiſcopo Pompejo Compagnonio, qui tanta cum laude Auximanam adhuc adminiſtrat Eccleſiam.

(3) Conſule notam 128. Pannellii *in monum. cap.* 6. *pag.* 60.

(4) Ibidem.

(5) Ibidem.

(6) In deſcript. Templi principis Auxim. anno 1461. his verbis: *Dicata eſt* [*Cathed. Eccl. Auxim.*] *Leopardo Pontifici, & Confeſſori*. Ex Pannell. *lib. laud. nota* 128.

(7) In ea ſub titulo feſtorum particul. Civit. Auxim.: *Feſtum S. Theclæ Virginis. Titulus eſt Eccleſiæ Cathedralis. Die* 23. *Septembris.*

Quæ fuerit immutandi primi Patroni ratio: & utrum æqua?

VIII. Quicumque tamen is fuerit, qui Sanctum Leopardum ex antiquiſſima ejus Templi poſſeſſione dejecerit, abrenunciato ejuſdem patrocinio, quo tanquam primus & urbis, & diœceſis Patronus Auximates a tanto tempore apud Deum tutatus fuerat; eo conſilio id factum creditur, quod in memoratis ſupra Sancti Leopardi actis Auximanam ab ſe fundatam Eccleſiam Deo in honorem Sanctæ Virginis, & Martyris Theclæ dicitur idem Sanctus Leopardus dedicaviſſe. Sed cum acta illa purum ſint, putumque commentum, ut diximus, ex variis Sanctorum actis, iiſque probabiliter fabuloſis collectum ſæculo XIV., ut obſervavimus, neque ullius modo ſint in ipſa Auximana Eccleſia auctoritatis, intelligere facile poſſumus, quam nullum fuerit fundamentum indicendi Sancto Epiſcopo diem, eumque ex ea ſede movendi, quam tot ſæculis occupavit nullo contradicente. Et vero cur in honorem Sanctæ Theclæ primum illud Templum Deo dedicare debuit Leopardus? Quæ quidem Sancta Virgo, etſi in utraque Eccleſia orientali, & occidentali celeberrima fuerit, nihil tamen video peculiare, per quod illi eſſet tribuendus hic honor ſive a Leopardo, ſive ab Auximanis. Cur non potius Sanctis Martyribus Diocletio, Siſinio, Florentio, qui pro amplificanda Auximi fide celebri martyrio in eadem urbe coronati fuerant? Aut ſaltem Sanctis Victori, & Coronæ, quorum corpora Auximum ex Ægypto delata, ut traditur, atque recondita fuerant ſub Antonino, proindeque primum hujus urbis patrocinium apud Deum ſuſcipere debuerunt? Neque vero quis cenſeat, titulum S. Leopardi fuiſſe immutandum ex eo nomine, quod, cum S. Leopardus primus fuerit Auximanorum Epiſcopus, non potuerit a ſe conditum Templum ſuo ſibi ſub nomine & titulo conſecrare. Id enim quid aliud eſt, ut egregie animadvertit eruditiſſimus vir Pompejus Compagnonius Auximanus Epiſcopus, ex quo hæc ipſa deſumpſimus (1), quam inepte contendere, primis illis Eccleſiæ temporibus eoſdem fuiſſe ſervatos ritus, quos hodie in Romano Pontificali præſcriptos legimus? Imprimis nondum mihi ſatis compertum fateor,

(1) In paſtorali relatione, de qua ſupra.

fateor, utrum quæ primis Eccleſiæ ſæculis excitabantur Templa, peculiarem Sancti alicujus titulum a fidelibus obtinerent, an potius uni Deo, & Chriſto Domino conſecrarentur; ſuſpicorque factum ſolum fuiſſe poſt redditam Eccleſiæ pacem, & Sanctorum corpora ex cæmeteriis in Templis propoſita fidelibus veneranda, ut pleriſque religio peculiaris fidelium erga aliquos Sanctos iis denominationem tribueret, cum antea Martyria a Ss. Martyribus, quorum corpora ſub Altari quieſcebant, vocarentur. Sed habuerint jam tum peculiares Sanctorum titulos Cathedralia Chriſtiana Templa: quot ſunt ubique terrarum per Eccleſiarum fundatores Epiſcopos Sanctos conſtituta Templa, quæ non alium poſtea titulum, quam ipſorum met, priore, ſi quem habuerant, poſt eorum mortem abolito, ad hæc uſque tempora retinuerunt? An ideo, quod ea Templa ſub ſuo nomine, tituloque conſecrare Deo nequiverint, hoc eos honore ſpoliatos legimus, & ab iis Templis quaſi dejectos, in quibus habuerunt jus tot ſæculorum conſentione firmatum? Sed convertendus tandem ad ſeriem calamus eſt.

Quis *S. Leopardo* in Auximana ſede ſucceſſerit. Num *Vitalianus?*

IX. Sancto Leopardo ſuffectum in Auximana ſede *Vitalianum* hujus nominis primum ex Zacchio affirmant Ughellius, & Martorellius, & exactis annis tribus ſupra triginta non ſine magna ſanctimoniæ fama obiiſſe, exceptumque tumulo in Cathedrali prope Sacrarium. Pannellius ab utroque diſſentit (1). Unde enim, inquit, hæc de Vitaliani hujus ætate, ſanctimonia, ſepulchro? Profecto nuſquam tale legitur. Vix memoratus invenitur in quodam vitæ S. Leopardi compendio, quod Stephanus quidam Curialis Templi S. Petri olim Rector, inde Canonicus Auximanus hiſtoriæ præmiſit de corpore ejuſdem S. Leopardi ſe præſente adinvento anno 1479., Sixto IV. Summo Pontifice, Auximano autem Epiſcopo Luca Cardutio, ubi de Vitaliano ſic ſcribit: *Succeſſit ei* (Sancto Leopardo) *Sanctus Vitalianus*, *qui prædictam Eccleſiam* (Ss. Victoris, & Theclæ) *ampliavit*, *& in titulum S. Leopardi tranſtulit*. Cum vero hæc accepiſſe Stephanus fateatur ex actis, de quibus ſupra, omnium nunc opinione damnatis, fidem illi adhibere nec poſſumus, nec de-

(1) Vide monum. *not.* 20. *pag.* 11., *&* 63. *pag.* 37.

debemus. Hinc opinatur, Vitalianum, qui in Auximana Eccleſia colitur inter Sanctos, illum eſſe dicendum, qui, cum VIII. vixerit ſæculo, ad ætatem relatus eſt Sancti Leopardi ſæculo IV. errore actorum fabricatoribus non infrequenti.

Sancto Leopardo ſuffectus fuit in ſede Auximana *S. Vitalianus*. Hinc, qui ab Auximanis colitur *Vitalianus*, vixit IV. ſæculo, non VIII.

X. Ego vero adduci non poſſum, ut cum doctiſſimo viro conveniam. Imprimis animadverto, vixiſſe quidem ſæculo VIII. Vitalianum quemdam Epiſcopum, ut conſtat ex Concilio Romano ſub Zacharia anno 743; ſed omnia, & ſingula ejuſdem geſta ita ex memoria hominum cecidiſſe, ut nullum omnino veſtigium de ejus peculiari virtute (quod ſcire potuerim) in Eccleſia Auximana remanſerit. Ætas ipſa, qua vixit, ipſum ejuſdem nomen in tenebris deliteſcerent, niſi ex eo uno Concilio nobis innotuiſſent. Cenſendum ne eſt, probabiliter fieri potuiſſe, ut ejus Epiſcopi, qui VIII. vixerit ſæculo, vix nudum nomen ad nos caſu deductum fuerit, ſi ſanctimoniæ laude inter alios ita excelluiſſet, ut divini eidem decernerentur honores? Contra vero inficiari non poſſumus, viguiſſe ſæculo ſaltem XV. traditionem in eadem Eccleſia de Vitaliano, qui S. Leopardo ſuffectus proxime fuerit ſæculo IV. Eam enim aperte tradunt inter alios plures Epiſcopus Zacchius, & Stephanus ille Canonicus, quorum alter inter cætera laudum præconia, hoc etiam encomio extollitur ab Ughellio, & Martorellio, quod in conquirendis ſuperiorum ſibi Epiſcoporum monumentis, quotquot ſuperfuerant igni, diligentiſſimus fuerit (1): alter vero vir plane egregius, maximæque auctoritatis prædicatur ab ipſo Pannellio (2).

De S. Vitaliano ſæculi IV. apud Auximanos traditio.

XI. Sed, inquit Pannellius, tam Zacchius, quam Ughellius, & Martorellius Vitalianum illum I. ſæculi IV. ab iis actis acceperunt, de quibus ſupra, & quibus fides omnino periit apud omnes. Ita plane. Non ſolum igitur ſæculo XV., ſed etiam XIV., quo acta illa creduntur fuiſſe conſcripta, eadem erat de S. Vitaliano ſæculi IV. traditio. Neque enim omnia, & ſingula, quæ continentur in illis actis, credi debent ab auctore fuiſſe conficta; ſed ea ſolum, quæ de Sancto Leopardo narrantur,

(1) Ad hunc inter Auxim. Epiſc. *num. in ſua ſerie per Colet. emend.* 35.
(2) Conſule eumdem *cap.* 5. *monum.* §. 2. *pag.* 23., *& ſeqq.*

tur, teſte ipſo Pannellio (1). Quod ſi Pannellius ad ea ipſa acta nos provocet, contendatque male ab iis acceptum Vitalianum ſæculi IV. pro Vitaliano ſæculi VIII., cum in illis nulla de ejus ætate ſit mentio, nihilque in iis ſit, per quod intelligi magis debeat Vitalianus ſæculi IV., quam VIII., animadvertendum illi proponam, videri non multum probabilitatis habere, unius ſolum ſæculi ſpatio verum eorum actorum ſenſum ita ab hominum etiam eruditorum animis excidiſſe, ut contra Auctoris mentem Vitalianum ſæculi IV. pro Vitaliano ſæculi VIII. intelligendum eſſe cenſuerint: præcipue cum ea acta in omnium manibus verſarentur, & ſingulis annis ab univerſo diœceſis Clero die S. Leopardo ſacra recitarentur.

XII. Illud etiam movet me, fieri debuiſſe, ut Sancto Leopardo defuncto aliquis ex ejuſdem diſcipulis ſanctimoniæ laude, & religionis ſtudio præclarior ſeveriorem illam priorum ſæculorum diſciplinam edoctus eadem in ſede ſufficeretur, qui ejuſdem veſtigiis inſiſtens, quæ ab eo inſtituta ſanctiſſime fuerant, confirmaret, & tanquam ſecundus pater haberetur ab Auximanis. Et vero monumenta non deſunt, quibus edoceamur, in Auximana Eccleſia pari fere honore habitos Leopardum, & Vitalianum, tanquam ſi [ut libet interpretari] pares illis gratias habere profiteretur pro religione ab altero quidem fundata, ab altero confirmata, & propagata. Hanc enim lego invaluiſſe apud Auximanam Rempublicam præteritis ſæculis conſuetudinem, ut in tabulis, pactiſque publicis poſt invocatum Deum omnipotentem, nomenque Beatiſſimæ ſemper Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli nomen etiam invocaretur Sanctorum Leopardi, & Vitaliani tanquam primorum æque patronorum, & defenſorum urbis, atque ditionis (2), inſtituto ab Eccleſia Romana

Quanto in honore habitus *Sanctus Vitalianus* ab Auximanis ſuperioribus ſæculis fuerit.

(1) Conſule eumdem *monum. cap. 2. pag.* 10. ubi = „ Quì ſi deve oſſervare, che quando nella preliminar diſſertazione abbiam detto, „ che queſta leggenda non può meritare alcuna fede, abbiam ſempre „ inteſo di parlare degli atti della vita del Santo [*Leopardo*] e non già „ di tutto il rimanente ancora, che nella leggenda è compreſo. Quando „ le coſe ivi narrate poſſono crederſi più vicine, e più note all'Autore, „ noi non abbiamo ſufficiente motivo di negargli fede ec.

(2) Branus quidam a S. Geminio Prætor Auximan. urbis electus anno 1360. jusjurandum, quo juravit in leges, ita exorditur coram Auxi-

mana acceptò ; quam videmus Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum pari honore complecti. Abſit tamen comparationi invidia, cum & nos cognoſcamus, quantum diſcriminis intercedat. An probabile reputabimus, Vitalianum hunc, tanti habitum ab Auximana Republica, eum eſſe, de quo certum id unum eſt, ſæculo VIII. Auximanæ Eccleſiæ præfuiſſe, geſtis ad unum omnibus oblivioni mandatis?

Quis probabiliter fuerit *Sanctus Vitalianus Auximanus*.

XIII. Hæc ita ſi fuerint, fortaſſe a veritate longiſſime non aberravi, cum ſuſpicatus ſum aliquando, Vitalianum, qui colitur ab Auximanis, eum ipſum fuiſſe, qui ad Auxentii cauſam audiendam, exponendamque fidem cum Damaſo Papa, aliiſque nonaginta tribus Epiſcopis in urbe Roma convenit anno, ſi Coutantium audiamus, 372. (1); ſi vero Baronium 369. (2): cujus quæ ſedes fuerit ignorare fatentur. Si Leopardum ad Conſtantini tempora referamus ſæculo IV., quemadmodum referendum ſupra putavimus, & Vitalianum demus eidem ſuffectum ad dimidium circiter ejuſdem ſæculi, vel eo jam inclinante, ejus certe ætas Synodi illius ætati reſpondet. Quod ſi is ille fuit, profecto eſſe debuit multi nominis, magnæque in Eccleſia auctoritatis. Non enim ſolum epiſtolam ad orientales Epiſcopos ex paucis dedit, ſed primus poſt Damaſum in ea legitur, & Valerianum Patriarcham Aquilejenſem (3). Hunc Bollandiani cum alio ejuſdem nominis Epiſcopo Capuenſi confundunt (4). Bollandianis Ferrarius, Ferrario fortaſſe illud impoſuit, quod obſervaverit, eadem die Julii 16. Sancti Vitaliani obi-

Sanctus Vitalianus Auximanus a Capuenſi diverſus.

ximano Magiſtratu = *Al nome di Dio. Amen. Die ſeptima menſis Januarii* 1360. *&c.* ,, Nel principio, mezzo, e fine Meſer lo Podeſtà ſia, ,, & eſſer poſſa ad reverentia dell' unnipotente Dio, e della ſua Madre ſempre Vergine Madonna S. Maria, e delli beati Apoſtoli Meſer S. Pietro, ,, e Meſer S. Paolo, e delli glorioſi Confeſſori MESER S. LEOPARDO, ,, e MESER S. VITALIANO, LI QUALI SONO CAPI, E DEFENSORI DEL COMMUNO, E DELLO STRETTO DI QUESTA CITTA' &c. Idem exordium habent pacta ſolemnia inter Senatum Auximanum, & Pandulphum Malateſtam Piſauren. anno 1316. Conſule Martorell. *in ſuis monum. hiſt. pag.* 91., *&* 231.

(1) Apud Coutan. *tom.* 1. *pag.* 487.

(2) *Ad annum* 369.

(3) Vide hanc epiſtolam *tom.* 11. *Concil. edit. Venet.* 1728. *col.* 1043.

(4) Conſule Sollerium *die* 16. *Julii Bollandiani* in S. Vitaliano, & præcipue *num.* 21.

obitum recoli tam ab Auximana, quam ab Eccleſia Capuenſi; eademque præterea omnino die 16. Junii ab utraque inventionem corporis Sancti Vitaliani celebrari. Si Vitalianum ab Auximatibus cultum eum fuiſſe dicamus, qui ſæculo vixit VIII., nulla ſubeſt dubitationis occaſio. Quidquid enim ſit de Vitaliano Capuenſi, de quo non laboramus, in Concilio certe Romano, de quo ſupra, Vitalianum Auximanum legimus, non Capuenſem. Si vero is fuit, quem tradunt S. Leopardo in Auximana ſede ſuffectum, præter id ipſum, ex eo etiam liquet utriuſque diſtinctio, quod Sancti Vitaliani Auximani corpus in Templo Auximano ab antiquiſſimo tempore colendum exhibeatur: Capuenſis vero in urbe Catacenſi (1).

XIV. Qui poſt Sanctum Vitalianum Eccleſiam hanc Epiſcopi proxime rexerint ad VII. ſæculum nulla certa monumenta nos docent. Ad *Joannem* deſcendit Ughellius Romano Concilio præſentem ſub Agathone anno 608. *Fortunatum* ſupponit Joanni Lucentius ex alio Romano Concilio ſub Martino I. adverſus Monothelitas anno 649. Ego *Conſtantinum* illum, quem Gratianus *Anuſcanæ Civitatis* Epiſcopum dixit (2), & vixiſſe ſub Gelaſio II. XII. ſæculo Lucentius cenſuit (3), utrique præpono. Decretum enim illud Gelaſio II. tribui non poſſe, ſed alteri ejus nominis I., ſæculo V., vel cuipiam alteri proximorum ſæculorum referendum, ſatis, ut puto, probatum alibi a nobis eſt (4). Remanet, ut *pro Civitate illa Anuſcana* Civitatem Auximanam probabiliſſime interpretandam oſtendamus. Cujus rei cum decretum ipſum nobis potiſſimum ſuppeditet argumentum, Lectorum oculis ipſum cenſeo ſupponendum. Eſt autem hujuſmodi.

S. Vitaliano ſuffectus probabiliſſime *Conſtantinus*, Ughellio ignotus.

GELASIUS MAXIMO ET EUSEBIO EPISCOPIS.

Licet in regulis contineatur antiquis, Parochias unicuique Eccleſiæ priſtina diſpoſitione deputatas nulla poſſe ratione convelli, ne per conſuetudinem peſſimam exempli

(1) Vide Sollerium loc. cit., & Ferrarium *in not. ad Cat. SS., qui non ſunt in Martyrol. Romano.*

(2) 2. p. decret. Cauſ. 16. q. 3. c. 3.

(3) In Anconit. ad Ep. N. num. in ſua ſerie 16.

(4) In Com. Noſtro de Eccl. & Epiſc. Ancon. num. 22. & ſeqq.

pli mali temeritate creſcente univerſalis confuſio naſceretur, tamen etiam decretis noſtris ante non multum temporis deſtinatis omnia juſſimus, quæ taliter fuerant invaſa, reſtitui. Sed quia temeritas pervadentium legem ſibi poſſe putat generari, ſi ſceleri ſuo pertinaciam retentionis adjungat, ea, quæ inter Fratrem, & COEPISCOPUM NOSTRUM CONSTANTINUM ANUSCANÆ ECCLESIÆ SACERDOTEM, & inter Nuncios directos ab Anconitano Pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus: donec formam in cæteris cognitionibus quæ ſit ſequenda præſcripſimus. Nulla igitur præſumptione ſtatum Parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari &c.

Quæ huic decreto locum fecerit controverſia, obſcura cum ſit, non una eſt Doctorum opinio. Contendunt aliqui Anconitanum Antiſtitem Epiſcopalem jurisdictionem in quibuſdam villis, & prædiis eo nomine exercere voluiſſe, quod ad ſe hæreditario jure ſpectarent, etiamſi intra fines *Anuſcanæ* vicinæ diœceſis continerentur. Contra vero alii controverſiam ex eo natam veroſimilius volunt, quod Anconitanus Epiſcopus Curiale quoddam Templum ita poſitum in *diœceſi Anuſcana*, ut eſſet diœceſi ſuæ finitimum, invaſiſſet, diuque tenuiſſet (1). Quidquid autem in cauſſa fuerit ejus decreti, id ſaltem videtur certum, *Epiſcopi Conſtantini* diœceſim cum diœceſi Anconitana fuiſſe conjunctam; proindeque Conſtantinum ejus urbis Epiſcopum eſſe minime potuiſſe, quæ eſt in regno Neapolitano dicta ab Incolis *Nuſcum*. Ea enim quam longiſſime diſtat Ancona, cum ſit in Hirpinis ſub Archiepiſcopatu Salernitano decem & ſeptem paſſuum millibus diſſita a Benevento Compſam verſus (2). Idque etiam non obſcure colligitur, quod quæ in vulgatis ſcripta reperitur *Eccleſia Anuſcana*, in antiquis quibuſdam codicibus legitur *Canuſcana*, *Camuſcana*, *Tamiſcana* (3). Quod ſi ita eſt, non video cujus urbis Epiſcopus Conſtantinus ille eſſe potuerit probabilius, quam Auximanæ, ſuſpicorque ſcriptum male fuiſſe *Sacerdotem Eccleſiæ Anuſca-*

(1) Vide Gloſſam ad cit. c. Decreti Gratianei.
(2) Baudrand. verbo *Nuſcum*.
(3) Varia hæc codd. lectio refertur in omnibus ferme Decreti illius editionibus, maxime autem in Halenſi Magdeburgica anni 1747., curante Juſto Henningio Bohemero.

canæ, *cum Auximanæ* ſcribi debuiſſet. Animadverto enim hanc unam eſſe, quæ a voce *Anuſcana* non ſit remotiſſima, & communia habeat cum Eccleſia Anconitana confinia. In eadem eſt opinione Lucentius, qui etſi ex quodam ſcrupolo inter Auximanos Epiſcopos enumerare Conſtantinum non audeat, fatetur tamen Auximanæ Eccleſiæ probabiliſſime convenire. Quemadmodum igitur *S. Leopardum Sanctus Vitalianus* excepit, ita me judice *Vitalianum Conſtantinus*, quem ſecuti poſtea ſunt *Joannes*, *Fortunatus*, *Vitalianus II.*, *Germanus*, *Andreas*, *&* *Petrus* ad finem uſque ſæculi IX.; ita tamen, ut vix ullus ſit, qui alteri ſuffectus proxime fuerit, & ſpatia frequentiſſima occurrant Epiſcopis vacua, ut videre eſt apud Ughellium; quæ claudi poſſe aliquando, ita nulla ſpes eſt, ut qui deſunt ex defectu monumentorum Epiſcopi, dici poſſint merito conclamati. Quin etiam quam maxime vereor, ne exploſo ab hac ſerie, quem nominavimus, *Petro*, ſpatia amplificentur. Etenim hic Epiſcopus innoteſcit ex ea unica donatione, quæ facta dicitur Monaſterio Sanctæ Crucis a Firmano Epiſcopo Theodoſio anno 887. Eam vero omnino fuiſſe confictam, & commentitiam, quidquid contra aſſerat Muratorius, a nobis oſtenſum eſt alibi, niſi nobis nimium indulgeamus, evidenter (1).

Qui Epiſcopi in Auximana Cathedra ſederint poſt *Conſtantinum*.

Petrus ſæculo IX. Auximanus Epiſcopus admodum dubius.

XV. Poſt Petrum occurrit *Attingus* ex Romano Concilio anno *967.* integro pene eos ſæculo dividente. Poſt Attingum fortaſſe proximus *Leonardus*. Hunc ad annum Ughellius collocat *983.* ex judicio Ottonis III. pro Eccleſia Sanctæ Floræ Arretinæ, cui inter alios Epiſcopos Leonardus quoque ſubſcripſit. Nos vero judicium illud latum fuiſſe probavimus anno *996.* (2). Proindeque Leonardus ad ea tempora protrahendus.

Leonardus quo anno fuerit Auximanus Epiſcopus.

XVI. Leonardum *Gislerius* ſequitur hujus nominis I. Incertum an proxime. Neque enim nominatus nobis occurrit Gislerius ante annum 1022. in Chronico Farfenſi (3). Idem apud Rubeum interfuiſſe legitur illi judicio, in quo anno 1037. per *Miſſos* Conradi Imperatoris Gebehardo Archie-

Quot fuerint ſub eodem *Giſlerii* nomine Auximani Ep. ſæculo XI.

(1) In Comment. de Eccl. & Epiſc. Anconit. *num.* 17.
(2) In eod. Comm. *num.* 18.
(3) Apud Murat. *rerum Ital. Script. tom.* 2. *part.* 2. *pag.* 425. *Nota* 75.

chiepiſcopo Ravennati adjudicata ſunt plura bona, quæ ad ejus Eccleſiam in agro Auximano ſpectabant (1). Gislerio *Lotharium* Ughellius ſufficit, Lothario *Gislerium alterum*. Ego vero Gislerio hujus nominis I. ſubjiciendum proxime cenſeo Epiſcopum illum, quem S. Petrus Damiani, ſuppreſſo prudenter nomine, affirmat *inauditis criminibus involutum* (2): Epiſcopo illi *Gislerium II.*: Gislerio vero II. *Lotharium*. Et quidem quod ad infamem illum Epiſcopum ſpectat; ab eo impletam fuiſſe Cathedram Auximanam anno 1047., ut eam tamen a tempore ſuperiori malis artibus occupaſſet, ex ipſo Sancto Petro non obſcure colligimus. Sanctus enim Doctor in ſua ad Clementem II. epiſtola, quod eum in Romano Concilio de ſede Clemens ipſe non deturbaſſet, ita conqueritur: *Sed cum videamus Fanenſem Latronem ab his etiam, qui non erant, ſed dicebantur Apoſtolici* [Benedicto IX., ut arbitror, & Gregorio VI.] *maledictum, & excommunicatum; AUXIMANUM QUOQUE TOT, ET TANTIS INAUDITIS CRIMINIBUS INVOLUTUM, alioſque ſimili ſententia condemnandos, a vobis tanta cum arrogantia, & exultatione reverti, cogitur in luctum ſpei noſtræ gaudium commutari. Nos enim ſperabamus, quod tu eſſes redempturus Iſrael. Quapropter, beatiſſime Domine, ſic conculcatam & abjectam ſtude relevare juſtitiam.* Hæc a Damiano ſcripta cum ſint anno 1047. poſt Romanum Concilium eo anno habitum a Clemente initio ſui pontificatus (3), ſedentem docent eo tempore ſceleroſum illum Epiſcopum; proindeque recentiorem illo Giſlerio, quem huic Eccleſiæ præfuiſſe annis 1022., multiſque aliis probabiliter ſuperioribus, & 1037. Rubeus, & Chronicon Farfenſe teſtantur.

Nequam quidam Epiſcopus Auximanus ſæculo XI. ignotus Ughellio.

XVII. Quandoquidem vero id ab aliquibus vocatur in dubium, qui hunc nequam Epiſcopum non ſatis a Giſlerio hujus nominis I. diſtinguunt, demonſtrandum a nobis

(1) *Lib. 5. pag.* 208.
(2) *Tom. 1. lib. 1. Epiſtolarum epiſt. 3. ad Clem. II. Rom. Pont. pag. 2. edit. Pariſ. anni* 1743.
(3) Clem. II. inaug. die Natali Chriſti Domini anni 1046. obiit anno ſequenti 1047. VII. Idus Octobr. poſt celebr. Romæ Concilium. Hinc Damianus anno ſolum 1047. ad Clem. II. ſcribere ea potuit. *Conſule Baron. ad eos annos.*

bis id eſt. Et vero cum ab anno 1022., imo a tempore ſuperiori Auximanam Cathedram Gislerius ille I. impleverit, ut ſupra diximus, quis probabile reputet, Epiſcopum adeo criminoſum, nec minus probroſum, quam Eccleſiæ damnoſum, tamdiu aut ab Auximanis, aut ab ipſo Damiano tolerari potuiſſe, ut anno ſolum 1047. puniendum, deturbandumque de ſede Damianus ipſe cenſuerit? Accuſaverat jam temporibus ſuperioribus, Benedicto IX. Petri Cathedram adhuc occupante (1), proindeque poſt annum 1032. apud Gebehardum Archiepiſcopum Ravennatem Epiſcopos Fanenſem, & Piſaurenſem, curaveratque, ut quoniam agens Romæ Summi Pontificis erat a latere, ejus opera ab *Epiſcopatus arce* dejicerentur (2). Ad Gregorium quoque VI. recens creatum Romanum Pontificem epiſtolam Damianus dederat anno 1044., in qua cum ignoraret pecunia ab eo emptam Romanam ſedem, de collata illi dignitate gratulatur, & ſtudio religionis incenſus graviſſimis verbis hortatur, ut quantocius ab Epiſcopali ſede deturbet Piſaurenſem, Fanenſem, & Caſtellanum Antiſtites: nulla interim neque apud Gebehardum, neque apud Gregorium de Auximano Epiſcopo facta mentione (3). Quare S. Petrus Damiani de uno

Utrum *nequam ille Epiſ.* a Gislerio hujus nominis primo diverſus fuerit?

C 2 Epiſ-

(1) Ex Mittarel., & Coſtad. *t.* 2. *Annal. Camald. l.* 13. *num. 6. pag.* 88.

(2) *Oper. S. Petri Dam. tom.* 2. *lib.* 3. *Epiſt. epiſtola* 3. *pag.* 44. *edit. Pariſ. anni* 1743. Conſule Mitt., & Coſt. ubi ſupra. En verba S. Petri. *Talem te ergo, chariſſime Pater, in cauſa reproborum Epiſcoporum Fanenſis, & Piſaurenſis exhibe, ut te in veritate comperiam Dei judicium pertimeſcere, contra Miniſtros Diaboli viriliter decertare, arida diabolicæ plantationis arbuſta convellere, Eccleſiam Chriſti ad lumen velle de tenebris revocare. Unum autem nolo te lateat, quia ſi infames illi, & criminoſi in Epiſcopatus arce perſtiterint, non modicum ſplendidiſſime Domini Papæ opinio laborabit, & tu, qui conſiliarius ejus es, & tanta omnigenæ eruditionis ſapientia polles, nævum procul dubio reprehenſionis incurres.*

(3) *Tom.* 2. *lib.* 1. *Epiſtolarum epiſt.* 1. *ad Greg. VI. Rom. Pontificem*, ad quem inter cætera ita ſcribit: *Reprimatur avaritia ad Epiſcopales infulas anhelantium ..... Veruntamen utrum iſta, quæ ſcribimus, mundo ſperare ſit licitum, primo Piſaurenſis Eccleſia bonæ ſpei clarum dabit inditium. Niſi enim prædicta Eccleſia de manu illius adulteri, inceſtuoſi, perjuri, atque raptoris auferatur, omnis populorum ſpes, quæ de reparatione mundi erecta fuerat, funditus enervatur..... Et ſi ille tot criminibus obvolutus ad Epiſcopatus arcem reſtituitur, ab Apoſtolica ſede boni aliquid ulterius poſſe fieri, penitus denegatur. Tres equidem ſunt, quæ teſtimonium dabunt, Caſtellana ſedes, Fanenſis, & Piſaurenſis, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. In his tribus patenter oſtenditur, quid ſpei de cætero relinquatur.*

Epiſcopo Auximano tam caute? Unde tanti ſilentii cauſſa pro Epiſcopo tam infami, *tot* [ut ipſe fatetur] *& tantis criminibus involuto?* Quem ad Clementem II. poſt annos tres detulit, cur non ante detulerat ad Gebehardum, atque Gregorium? Opinabimur ne, virum ſanctiſſimum humana aliqua ratione præoccupatum, atque conſtrictum? Id ego certe de tanto viro non ſentiam. Quid igitur? Nullam ego video probabiliorem hujus tanti ſilentii rationem, quam quod anno 1044. vel nondum nequam ille Auximanus erat Epiſcopus, vel ſi erat (quod cenſeo probabilius) eo ipſo anno, vel ſuperiore, eodem modo a Benedicto IX. Pontificatum emerat Auximanum, quo Gregorius paulo poſt eodem anno Romanum (1). Id autem cum Damianus nondum compertum haberet, neque in tantis anguſtiis temporis tot ille, tantiſque inauditis criminibus, quot, quantiſque poſtea, ſe ſe involvere potuiſſet, mirum eſſe non debet, ſi eum apud Summum Pontificem non poſtulaverit, neque cum Caſtellano, cum Fanenſi, cum Piſaurenſi conjunxerit. Quod ſi verum eſt, nemo non videt, Epiſcopum hunc diſtinguendum ab eo Gislerio, quem certum eſt ſedem hanc ſuperioribus temporibus occupaviſſe.

Duo fuerūt ſub eodem *Gislerii* nomine Auximani Epiſc. inter quos medius *nequam ille Epiſcopus* fuit, proindeque ab utroque diverſus.

XVIII. Duo ex his videor mihi poſſe colligere. Primum eſt, duos fuiſſe ſub eodem Gislerii nomine Auximanos Epiſcopos. Secundum, Epiſcopum hunc ab utroque Gislerio fuiſſe diverſum. Et ad primum quod ſpectat, id certum imprimis eſt, anno circiter 1051., Leone IX. Summo Pontifice, Epiſcopum in Auximana cathedra ſediſſe *Gislerium* nomine. Ad eum enim circiter annum S. Petrus Damiani opuſculum contra quemdam Epiſcopum Monachos ad ſæculum revocantem Gislerio Auximano Epiſcopo nuncupavit (2), ut cenſent viri doctiſſimi Mittarellius, & Coſtadonius (3). Et quidem merito. Cum enim Damianus aſſerat exaratum a ſe fuiſſe illud opuſculum, paulo poſtquam interfuerat Romanæ Synodo, in qua de Monachis ad ſæculum deficientibus egerat

(1) De empto per Gregorium VI. Pontificatu Romano conſule Franciſcum Pagium ex coævis auctoribus *tom.* 2. *Breviarii &c.* in vita ejus Pontificis.

(2) *Eſt in tom.* 3. *Opp. S. Petri Dam. pag.* 180.

(3) *Tom.* 2. *Annal. lib.* 13. *num.* 48.

rat cum ſummo Pontifice, ea vero Synodus haberi omnino debuerit ſub Leone IX., conſequens eſt, ut opuſculum illud Gislerio nuncupari potuerit vel annum poſt 1049., vel 1050., vel 1051., quorum ſingulis congregatæ ſunt Romæ a Leone contra præcipue Simoniacos Synodi (1). Neque vero poſſumus ſuſpicari habitam eam Synodum ſub Clemente II. Superiore Pontifice. Quo enim tempore Clemens II. unicam illam Romanam Synodum habuit, Auximanam ſedem nequam ille Epiſcopus, non Gislerius, ut ſupra obſervavimus, occupabat. Fuit igitur ſub Leone IX. Summo Pontifice in cathedra Auximana Gislerius Epiſcopus, ad quem duas præterea poſt illud opuſculum idem Damianus inſcripſit epiſtolas, ut eum a ſæculi tempeſtatibus revocaret, impelleretque ad ſolitudinem, & portum in Monaſterio (2). Id autem ſi verum eſt, ſequitur plane, Gislerium hunc alium eſſe debuiſſe ab altero ejuſdem nominis, qui annis 1022., & 1037. hanc ipſam regebat Eccleſiam. Certum enim eſt, initio Pontificatus Leonis IX. Auximanum quemdam Epiſcopum fato ceſſiſſe, ut aperte teſtatur, data ab eodem Pontifice ad Clerum, & populum Auximanum epiſtola, qua eos de conſuetudine diripiendæ defuncti Epiſcopi domus graviſſimis verbis objurgat (3). Cui profecto epiſtolæ dare occaſionem debuit Auximani Epiſcopi mors (4). Quare enim hæc Leo ad Auximanos, ſi hujuſmodi conſuetudo communis erat cæteris populis? Si nihil tunc Auximi acci-

(1) Conſule Franc. Pag. *Breviar. &c. in vita S. Leonis IX. ex coævis Script. tom.* 2.

(2) Sunt in *tom.* 1. *Opp. S. Dam. lib.* 4. *Epiſtolar. ep.* 4., *&* 5. Datæ ſunt a Damiano poſtquam redux fuerat Auximo, ut ipſe teſtatur initio epiſtolæ primæ ex illis duabus. Fuerat autem Auximi apud ipſummet Gislerium Epiſcopum anno ſuperiore, in cujus domo exaraverat opuſculum contra Epiſcopum Monachos ad ſæculum revocantem, ipſique Gislerio inſcripſerat, ut aſſerunt Mittarellius, & Coſtad. *tom.* 2. *Annal. lib.* 13. *num.* 48., *&* 49., & ut videtur colligi ex initio dictæ epiſt. Datæ igitur ſunt eæ epiſt. poſt illud jam exaratum opuſculum: & proinde ad Gislerium II., non I.

(3) Eſt in operib. S. Petri Dam. *tom.* 1. *lib. Epiſtolar.* 5. *epiſt.* 6. *pag.* 73., ubi notatur conſcriptam eam fuiſſe a Damiano nomine Leonis ex ſtylo, & ex antiquis MSS Codicibus.

(4) Vide Mittarell. & Coſtad. *tom.* 2. *Annal. Camal. lib.* 13. *num.* 39. *pag.* 114., ubi eam epiſtolam datam dicunt a Leone manu Damiani, cum, Epiſcopo nequam Auximano defuncto, in ejus odium facultates Epiſcopatus prædonum more diripuiſſent Auximani.

ciderat, quod Leonem ad eam epiſtolam conſcribendam impelleret? Obierat igitur tunc Auximanus Epiſcopus, quem ſive demus illum fuiſſe Gislerium annis 1022., & 1037. hanc ſedem implentem, ſive illum Epiſcopum nequam, unus idemque cum illo Gislerio eſſe non potuit, cui Damianus opuſculum annis ſequentibus nuncupavit, & ad quem duas illas dedit epiſtolas.

XIX. Quod ſecundo loco propoſitum eſt, pravum ſcilicet illum Epiſcopum ab utroque Gislerio fuiſſe diverſum, multo etiam clarius oſtenditur. Cum Gislerio hujus nominis I. confundi non poſſe, ſatis ſupra probatum eſt. Unum autem eumdemque fuiſſe cum Gislerio II. quis dixerit? Cum infamis ille Epiſcopus initio Pontificatus Leonis IX. obire debuerit, ut ſupra vidimus, anno ſcilicet aut 1049., aut 1050.; Gislerium vero anno ſaltem 1051., & ſequentibus Auximanæ Eccleſiæ præfuiſſe obſervaverimus ex Damiano? Quid, quod Gislerius a pravis ejus Epiſcopi moribus tam immaniter diſcrepabat? An illi opuſcula S. Petrus nuncupaviſſet, eum Auximi frequentaſſet, pluresque ad eum dediſſet literas amoris, atque exiſtimationis plenas, ſi ille fuiſſet Epiſcopus *tot, tantiſque criminibus involutus*, dignuſque ipſius Damiani judicio, qui de ea ſede deturbaretur, quam ſine Eccleſiæ probro, detrimentoque occupare non poſſet? Eſſe igitur debuit inter utrumque Gislerium medius; factumque puto, ut nullum habeamus de ejus nomine monumentum, propterea quod a ſerie deletum fuerit, habitumque prorſus indignum, quod cum aliorum Epiſcoporum nominibus poſteris mandaretur. Quod idem factum cenſeo de iniquiſſimis aliis Epiſcopis Fanenſi, Piſaurenſi, & Caſtellano, quorum nomina fato pari delevit oblivio. Ex hac ipſa de cauſſa arbitror eveniſſe, ut populus Auximanus, qui, illo vivente, *terrena*, ut inquit Leo, *preſſus formidine* ſe ſe cohibuerat, vix dum eo defuncto, Epiſcopalem domum, in qua ſervari fortaſſe ſuſpicabatur theſauros inique congeſtos, hoſtiliter irruens invaderet, & expilaret, male parta ejuſdem bona prædonum more diriperet, fundorum habitationes incenderet, vites etiam, & arbuſta immani feritate ſuccideret, ut in Apoſtolicis ſuis literis Leo Pontifex narrat. Profecto eum Epiſcopum, qui tunc obie-

rat,

rat, morum fuiſſe pravorum, proindeque ab utroque Gislerio diverſum, colligere eſt ex iiſdem literis non obſcure.

XX. *Lotharium*, quem Ughellius Gislerio II. præpoſuit, eidem ſupponendum eſſe, res eſt manifeſta. Cum enim Lotharius huic Eccleſiæ præfuerit anno 1070., ut ex eo diplomate conſtat, quod eo anno Alexander II. P. M. pro Eccleſia Foroſempronienſi dedit (1), Gislerio II. præire non potuit, cui jam Epiſcopo Auximano anno 1051. opuſculum Damianus inſcripſit, ut obſervavimus. Me non latet, eſſe qui ſentiant cum Mabillonio, non fuiſſe inſcriptum Gislerio illud opuſculum a Damiano anno 1051., ſed 1059., quo Nicolaus II., non Leo IX. erat Summus Pontifex, & quo Nicolaus Romanam Synodum habuit. Id ego illis tanto libentius dabo, quod quæ dicta ſuperius ſunt de gemino in hac ſerie Gislerio egregie confirmat: nec tamen ſuperiorem facit Gislerio II. Lotharium. Modo enim inſcriptum non fuerit poſt annum ſaltem 1062., quo certo Lotharius Auximanus erat Epiſcopus, ſemper præibit eidem Lothario Gislerius. Cæterum ante annum 1057. inſcribi omnino debuiſſe Gislerio illud opuſculum a Damiano invicte probant Mittarellius, & Coſtadonius (2). Nihil præterea de Lothario ſive apud Ughellium, ſive apud alios. Hunc ego eum Epiſcopum fuiſſe cenſeo, qui anno 1082. caſtrum Aiani *cum bonis omnibus, & pertinentiis ſuis ab Adelberto, & Adelberga conjugibus caſtri ejuſdem Dominis* Auximanæ Sancti Leopardi Eccleſiæ, ejuſque urbis Epiſcopo dono datum accepit (3). Ut enim paulo poſt obſervabimus, non omnino improbabile judico, Epiſcopum hunc annum 1094. attingere potuiſſe, Urbano II. Summo Pontifice, Henrico IV. Imperatore.

Lotharius quo anno Epiſcopus fuerit ſæculo XI.

XXI. Poſt ſpatium unius ſæculi Epiſcopis vacuum *Guarnerius* ſequitur ex Ughellio ad annum 1150., de quo ab ipſo hæc referuntur: *Guarnerius, ut Auctor vitæ Sancti Vi-*

Guarnerius quãdo Auximanus Epiſcopus ſæculo XII.

(1) De eo diplomate dato anno 1070. non 1062., ut cum multis vult etiam Ughell., conſule Abb. Sartium *de Eccleſia Eug. ad S. Rodulph. in Com. prævio num.* 20. Conſule & nos ipſos *in Com. de Eccl. & Epiſc. Sabin. num.* 9.

(2) *Tom.* 1. *Annal. lib.* 13. *ad annum* 1051. *num.* 48.

(3) Ex veteri monumento apud Ughell. *in Camerinenſibus tom.* 1. *Ital. ſac. ad Hug. num.* 13. *pag.* 552. *edit. Venet.*

Vitaliani ſcribit, Eccleſiaſticam diſciplinam ſolutiorem adſtrinxit, ſummoque zelo divinum M. D. Vitaliani Epiſcopi Auximani officium celebrandum novo decreto ſtatuit, quod huc uſque ſolemni ritu agitur in Eccleſia Auximana die 16. Julii. Hæc cum legiſſem, in ſpem erectus fui, fore ut in vita Sancti Vitaliani, & ejuſdem officio plurima occurrerent, quæ in tenebris ambulanti lumen afferrent. Ab Auximanis igitur precibus impetrandum curavi, ut, quæ habebant [neque enim dubitare poteram, quin haberent] mihi humaniter communicarent. Continui ſpiritum, ut ab eis accepi, nullas aut eſſe, aut fuiſſe, quod ſciri potuerit, in Auximana Eccleſia lectiones, quæ Sancti Vitaliani geſta deſcriberent: nullum aut recitari, aut recitatum fuiſſe de eodem officium, quod ipſi ſit peculiare: nullum denique haberi de Guarnerio Epiſcopo monumentum. Unde ergo Ughellius ſuperiora, quæ recitavimus? Ego quam maxime ſuſpicor, quod hic Epiſcopus ſuperiori ætate floruerit. Martorellius Eccleſiam hanc ab eo afferit adminiſtratam Paſchale II. Summo Pontifice, Friderico vero Ænobarbo Imperatore. Hæc inter ſe pugnant. Paſchalis enim Pontificatum inivit anno 1099. XIX. Kal. Septembris, reliquit vero e vita concedens anno 1118. (1); Fridericus vero deſignatus eſt Imperator anno 1154. Adriano IV. Summo Pontifice (2). In exemplari ejus Auximatis hiſtorici, quod mihi humaniſſime communicatum fuit ab egregio, & eruditiſſimo Juvene Comite Aurelio Guarnerio [ex præclara cujus familia fuiſſe conſtanter traditur hic Epiſcopus] mendum hoc recenti manu ita caſtigatum invenio, ut Guarnerius Auximanam ſedem impleverit anno 1094., iis vero etiam temporibus vixerit, quibus Paſchalis II. Romanum Pontificatum, Henricus vero V. Romanum Imperium adminiſtrabant. Cum uterque in eo conveniat, quod Epiſcopatum Guarnerius geſſerit Paſchale II. Summo Pontifice, opinionem hanc cenſeo probabiliorem, eidemque lubens accedo. Neque enim ſuſpicari poſſum id ab utroque affirmatum vel ſine aliqua traditione, vel nullo penitus monumento. Guar-

(1) Conſule Franciſc. Pag. *in vita hujus Pontif. tom 2. Breviarii pag.* 522.
(2) Baron. *ad eum annum*.

Guarnerium hunc igitur in hac Serie ita cenſeo collocandum, ut ab anno 1094., quo ſedem implevit, vitam in ea produxerit ad annum circiter 1118., quo Henrico V. ab octennio Imperatore Paſchalis obivit.

XXII. Guarnerio ſuffectus aſſeritur in Auximana ſede *Gentilis*. Sed Gentili præponendus eſt *Grimoaldus*, de quo nulla quidem in ſerie apud Ughellium mentio; ejus tamen Ughellius ipſe alibi meminit (1). Etenim cum ſermo illi eſſet de Eccleſia Sanctæ Mariæ in Sylva Auximanæ Diœceſis Abbati Bernardo, & Monaſterio Sanctæ Mariæ Clarævallenſi donata ab Abbate Rambonæ Benedictino, Eugenio III. Summo Pontifice acta omnia confirmante anno 1153., addit appoſite, etiam *Grimoaldum Auximanum Epiſcopum* jus omne, quod ſibi eſſet in eadem Eccleſia, in eumdem Bernardum Abbatem translatum jam antea voluiſſe die Julii 2. anni 1151.; relatis ex publicis tabulis Auximanis a Notario Simone confectis, quæ teſtatam rem facerent, hiſce particulis. *D. Grimoaldus Epiſcopus Auximi dat D. Bernardo Abbati Monaxſterii S. Mariæ Claræ vallis, & ejus ſucceſſoribus Eccleſiam juris ſui Sanctæ Mariæ in Sylvis, quæ eſt ædificata in plano Ajani*. Ut video de ea Eccleſia eſſe debuit controverſia inter Abbates Rambonæ Benedictinos, & Auximanos Epiſcopos. Quod fortaſſe fuit in cauſſa, cur de ea Ciſtercienſibus donanda utraque pars conveniret. Sed hæc viderint ad quos ſpectat. Si habenda eſſet fides Ughellio ætatem Guarnerii ſuperioris Epiſcopi ſtatuenti ad annum 1150., præfici Grimoaldus debuiſſet huic Eccleſiæ vel hoc ipſo anno 1150., vel ſuperiore ad finem.

Grimoaldus ab Ughellio prætermiſſus Guarnerio ſuffectus ante Gentilem ſæculo XII.

XXIII. Grimoaldum *Gentilis* excepit, de quo primum, quod Ughellius proferat, monumentum annum non excedit 1179., quo Romano Concilio ſub Alexandro III. eum legimus interfuiſſe. Sed a tempore ſuperiori huic Eccleſiæ præfectum cognoſcimus ex coævis Scriptoribus apud Ulmum (2). Referunt enim anno 1177. una cum Epiſcopis Ariminenſi, & Piſaurenſi Venetias ſe contuliſſe, ut Alexandro Summo Pontifici pacem cum Friderico compoſi-

Gentilis quo anno Auximanus Epiſcopus? Quando obierit?

D

(1) In Camerin. loco laud.

(2) Conſule Martorell. in ſuis Monum. hiſtor. *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 69.

poſituro obſequeretur (1). Vitam præclariſſime ab eo protractam ad Cœleſtini III. tempora affirmavit Ughellius: proindeque annum 1198. non exceſſiſſe. Qui vero Ughellium illuſtrarunt ad annum eam producunt 1204. ex publicis tabulis, quibus Cingulani caſtrum S. Vitalis, aliaque loca eidem Gentili, & Eccleſiæ Sancti Leopardi reddita eſſe voluerunt (2). Ultra quem annum dicunt nullum monumentum supereſſe. Adhuc tamen ad finem anni 1205. viventem publica acta ſignificant eo anno data Menſe Octobris indictione octava apud Martorellium, quibus Caſſianus quidam Petri comitis filius caſtrum Sanctæ Mariæ eidem Gentili Epiſcopo nomine Eccleſiæ Sancti Leopardi, & Senatui Populoque Auximano ſubditum pactis conditionibus facit (3). In iis ad ea, quæ de Sancto Leopardo ſuperius diximus, confirmanda, libet obiter animadvertere, inter cætera, quæ Caſſianus facturum ſe jure jurando pollicetur, etiam hoc eſſe: *deferre annuatim in feſto Sancti Leopardi unum palleum de ſeta XL. lib. Luc.*. Quod idem videre eſt in iis publicis litteris, quæ ſub eodem Gentili Epiſcopo confectæ ſunt ab Oppidanis Caſtri Fidardi anno 1196. In iis ſiquidem inter cætera promittunt: *Auximano Sancti Leopardi Epiſcopatui fidem integram ſervaturos: quæ Sancti Leopardi Eccleſiæ rapuerant reddituros: & Cereum librarum decem recurrente die feſta S. Leopardi ad ejuſdem Templum delaturos*.

Lotharius Auximanus Epiſcopus hujus nominis II. qua ætate floruerit.

XXIV. Ughellius *Lotharium* II. hujus nominis Gentili ſufficit ad annum 1196., affirmatque multa Canonicis elargitum fuiſſe Henrico VI. Imperatore. Cum vero certum ſit, ab anno ſaltem 1177. ad anni finem 1205. ſedem hanc impleviſſe Gentilem, ut vidimus, nemo

(1) Mart. *lib. & loc. laud.* ex Ulmo, ſeu potius *ex Chron. Ven.* ejus ætatis, & Obon. Raven. In eo Chron. ſic Ulmus legit „ Queſti che „ noterò ſarà i Preladi, Baroli, Reali, e Conti, e Marcheſi, i qua- „ li ſi trovòe in Venezia per tutto il tempo di Settembrio, e anche „ de più 1177. . . . . . Pontio Veſcovo di Chiaramonte con homini 30. „ Lo Abbade de Boccavalle con homini 33. del Re d'Anghalterra que- „ ſti due per ſuoi Ambaſciatori . . . . Stefano eletto „ Veſcovo di Pexaro con homini 20. *Zentil Veſcovo Aximano* con ho- „ mini 24. Eizellino Veſcovo di Rimano con homini 12. ec.

(2) Sunt apud Martoreli. *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 86.

(3) Apud eumdem *lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 143.

nemo non videt, quam fuerit hallucinatus. Ut huic errori Lucentius occurreret, cenſuit Lotharium hunc protrahendum poſt annum 1205., *quo*, inquit, *Henricus imperare cœpit*, *&* *jam Gentilis obierat* (1). Sed lapſum æque Lucentium ex eo facile quiſquis intelliget, quod non modo Gentilis poſt annum 1205., ſed & ante Gentilem Henricus etiam obierat ab anno uſque 1197., imperatoria poſtea ſede ex ejus morte vacante ad annum 1208., quo Imperii habenas Otto IV. accepit (2). Itaque alterutrum falſum eſt, vel Henrico VI. vixiſſe Lotharium, vel ſuffectum fuiſſe in Auximana ſede Gentili. Igitur ſuſpicor, hunc Lotharium huic Eccleſiæ præfuiſſe imperante Henrico vel IV., vel V., non VI. [quid enim facilius, quam ſcriptum fuiſſe Henricum VI. pro IV., vel V.?] proindeque vel a Lothario I. non diſtinguendum, qui, cum anno viveret 1070., ut ſupra vidimus, vitam fortaſſe protraxit poſt annum 1083. ſub Henrico IV. Imperatore; vel ſi alius fuit ab eo, poſt annum floruerit 1110., quo factus eſt Imperator Henricus V.. Et vero cum ab anno 1070., quo ex Alexandri II. diplomate Lotharium I. in Auximana ſede cognoſcimus, ad annum 1150., quo vult Ughellius vixiſſe Guarnerium, nullus productus ſit, qui fuerit medius, locus certe non deeſt, quem Lotharius II. implere potuerit. Gaſpar Zacchius Volaterranus, qui ad Auximatem Cathedram evectus fuit anno 1464., ut in ſerie notabimus, manu exaratam reliquit ſeriem ſuperiorum ſibi Epiſcoporum, cujus fragmenta vidi apud laudatum Comitem Aurelium Guarnerium, in quibus hæc habentur de Lothario Epiſcopo Auximano: *Lotharius Epiſcopus per annos mille nonaginta quatuor* 1094. *temporibus Clementis Papæ*, *&* *Henrici Imperatoris Canonicorum Menſæ Caſtellum Rodoviani*, *&* *jugera centum terræ*, *ac alia multa dono dedit*. Adverti tamen additum recentiori manu ſupra lineam fuiſſe *centum*, & in arabicis numeris ſecundum illud ſignum o converſum eadem manu in 1, totumque proinde numerum ex 1094. factum 1194.. Sed perverſa eſt hæc emendatio. Etenim anno 1194., multiſque aliis cum ſuperioribus, tum ſe-

 quen-

(1) Ad hunc apud Ughell. *nota* 1.
(2) Conſule Mur. Ann. Ital. *ad eos annos*.

quentibus Lotharium hunc Gentilis excludit, ut diximus. Et vero in antiquiori codice, & ferme coævo eidem Zacchio annus apertiſſime legitur MLXXXXIIII., non 1194. Quamvis autem hoc anno fuerit quidem Henricus IV. Imperator, nullus vero Clementis nomine Summus Pontifex; nihilominus Lotharium illum hic innui poſſe crediderim, qui cum anno viveret 1070., ut ſupra vidimus, nihil in ſerie eſt impedimento, quominus potuerit vitam producere ad annum 1094.. Illud etiam animadverto donatos ab eo dici Canonicos Caſtello *Rodoviani* cum centum terræ jugeribus. Quid ſi Caſtellum hoc illud idem *Ajani oppidum* foret, quod cum *pertinentiis ſuis* Lothario illi, & Eccleſiæ Sancti Leopardi Adelbertus, & Adelberga Conjuges donaverunt anno 1082., ut ſupra narravimus, *Ajano* fortaſſe in *Rodovianum*, vel *Rodoviano* in *Ajanum* ex ſcribentis incuria male traducto? *Rodovianum* quidem in illo antiquiori codice legitur, cuius præſtat integrum locum huc afferre, qui ſic habet. *Lotharius fuit poſtea* [hoc eſt poſt Gentilem] *anno MLXXXXIIII.º tempore Clementis Papæ, & Henrici Imperatoris. Is donavit Canonicæ curtem Rodoviani cum Caſtello & Eccleſia in eo, & Eccleſia S. Mariæ Popiani, & S. Dionyſij, & centum modiolis terræ.* Verum licet hinc merito ſuſpicari, *Caſtellum*, quod in *curte Rodoviani* fortaſſe continebatur, illud ipſum fuiſſe *Ajani Caſtrum*, ut propterea, ſi utroque modo legatur, nullus fortaſſe errori ſit locus: cumque cum *Ajanum*, tum *Rodovianum* ad unam pertineat donationem Lothario Epiſcopo factam anno 1082., ab eo poſtea anno 1094. in Canonicos liberali dono traductam, unum, non geminum diverſis temporibus fuiſſe Lotharium colligere facile poſſumus, quidquid interim ſit de ſerie Zacchiana, in qua Lotharius Gentili ſufficitur. Ab Auximatibus petii, haberent ne hujuſmodi donationum aliquod monumentum, quo ætas ſaltem hujus Epiſcopi certo cognoſceretur. Nullum omnino ſibi eſſe cum dixerint, reliquum eſt, ut in iiſdem, quibus antea, tenebris relinquatur.

XXV. Iiſdem tenebris involutus occurrit *Sinibaldus* de *Sinibaldis*, de quo id unum Ughellius, *Quondam Auximatibus jus dixiſſe divinum.* Neque quidquam aut clarius,

aut

aut certius, aut peculiarius ab Auximanis mihi ſignificatum eſt. Suſpicatus ſum, alium ab eo non eſſe, qui Berardo in hac Serie ſæculo XIV. ſuffectus fuit, & de quo mox erit ſermo.

XXVI. *Rainerius* Sinibaldum dicitur excepiſſe, & *Sanctus Benvenutus* ſucceſſiſſe Rainerio. Inter utrumque tamen *Joannem quemdam Archiepiſcopum Meſſanenſem* Martorellius intrudit ad annum 1263.. Præter quam quod vero nullum Martorellius adducit de hoc Joanne Archiepiſcopo documentum, monumenta non deſunt, quæ eum excludant. Etenim cum Gregorius IX. anno 1240. Auximanam Civitatem, quod ad Fridericum defeciſſet, honore ſpoliatam Cathedræ Epiſcopalis Humanatenſi Eccleſiæ ſubdiderit, Rainerio, qui tum erat Epiſcopus, ad novam civitatem Recinetenſem deducto (1); neque ante annum 1264. ea urbs honori priſtino ab Urbano IV. fuerit reſtituta, Sancto Benvenuto Scotivolo novo Epiſcopo conſtituto (2), Joannes hic Auximanus Epiſcopus eſſe non potuit. Verum hunc aliquando Adminiſtratoris nomine Eccleſiæ Auximati præfuiſſe inficiari non poſſumus, cum id certo conſtet ex publicis litteris in tabulario ejuſdem Eccleſiæ ſervatis, in quibus *die XI. Octobris anno* 1268. *Thomaſſinus Thomæ Notarius ſua voluntate reddidit & reſtituit Venerabili Patri Domino Benvenuto Epiſcopo Auxim. Eccl.* ea omnia, quæ habuerat *occaſione conceſſionis ſibi factæ de prædictis per Venerabilem Patrem Dominum Fratrem JOHANNEM ARCHIEP. MESSANENSEM tunc RECTOREM Epiſcopatus prædicti*. Hinc ergo factum, ut Joannem hunc Auximatibus Epiſcopis Martorellius accenſendum exiſtimaverit.

Joannes Archiepiſcopus Meſſanenſis non fuit Epiſcopus Auximanus ſæculo XIII.

XXVII. Urbi igitur & ſacris, & infulis reſtitutæ præfectus fuit *Sanctus Benvenutus* Epiſcopus anno 1264. (3), eamque Cathedram tenuiſſe dicitur a Wadingo annis tredecim Vitæ cujuſdam MSS. auctoritate: quæ etſi ipſomet teſte Wadingo in Eccleſia Auximana reperiretur, eam

Sanctus Benvenutus Scotivolus quot annis Auximanam Eccleſiam Epiſcopus rexerit ſæculo XIII.

(1) Conſule Martorell. *lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 117.

(2) Conſule diploma Urbani IV. apud Martorell. *lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 127.

(3) Plura hinc ad num. XXXI. mihi monumentorum inopia laboranti exciderunt, quæ poſtea magis edoctus refinxi ſub eodem num. XXXI., ubi vide.

eam tamen ſic nemo præter Wadingum vidit, ut uſquequaque diligentiſſime conquiſita a Bollandianis, immo a Cardinali Antonio Bichio Auximano Epiſcopo annis ſolum viginti, poſtquam eam Wadingus legerat, non ſolum induſtriam omnem, omnem diligentiam effugerit; ſed ne unus quidem in univerſa Diœceſi repertus ſit, qui eam viderit, legerit, commemoratam audiverit (1). Cæterum etſi communior ferat opinio, Sanctum Benvenutum ad ſuperos conceſſiſſe anno 1286., ejuſdem tamen obitum retrahendum ad annum ſaltem 1284. ex iis literis conſtat, quas Honorius IV. ad populum, Clerumque Callienſem dedit in ipſo limine Pontificatus ſui anno 1285. XII. Kal. Auguſti, in quibus de Berardo jam pridem Auximano Epiſcopo renunciato ſit ſermo (2). Non ſolum igitur anno 1285. menſe Julio Sanctus Benvenutus obierat, vel abierat de magiſtratu (quod tamen nemo hactenus dixit), ſed a tempore ſuperiori. Quod facile intelliges, ſi ea, quæ in iis litteris Summus Pontifex aſſerit, animadvertas. Narrat igitur 1. Callienſe Canonicorum Collegium neminem ſibi Epiſcopum deligendum curaſſe ante Berardum in Auximana prius ſede locatum: inde Raynaldum Abbatem vita defunctum. (Hi duo fuerant, qui paribus Canonicorum ſuffragiis ad eam ſedem vocati, dum uterque ſibi debitam repetit, vacuam diutiſſime tenuerunt:) 2. Berardo Auximano Epiſcopo conſtituto, mortuoque Raynaldo, Guillelmum e Maſtinorum gente futurum Epiſcopum deſignatum: 3. Guillelmum ſibi, ut auctoritate Apoſtolica confirmaretur, Collegii Canonicorum nomine oblatum: 4. electionem, & electi virtutes juſſu ſuo a duobus Cardinalibus in trutina poſitas: 5. demum Guillelmum peractis his omnibus a ſe Epiſcopum confirmatum. Hæc omnia facta cum fuerint ante menſem Julium anni 1285. poſt Eccleſiam Auximanam Berardo commiſſam, & unius anni ſpatio vix peragi ſingula potuiſſe cum videantur, conſequens eſt, ut anno ſaltem 1284. Sanctus Benvenutus Auximanam ſedem Berardo reliquerit va-

Berardus quo anno factus fuerit Auximanus Epiſcopus ſæculo XIII.

(1) Conſule Wading. *tom.* 5. *Annal. ad annum* 1276. Conſule Boll. *ad diem* 22. *Martii*, ubi de S. Benvenuto.

(2) Sunt apud Ughell. *tom.* 2. *Ital. Sac.* in Callien. ad Guillel. *num. in ſua Serie* 25.

vacuam. Quod Auximanorum traditioni de annis viginti in Epiſcopatu a S. Benvenuto traductis egregie reſpondet (1). Totidem enim recurrunt ab anno 1264., quo eum Urbanus IV. deſignavit Epiſcopum, ad annum 1284., quo ad æterna præmia vocatus fuit.

Utrum *S. Benvenutus* Auximanus Epiſcopus fuerit ordinis Minorum S. Franciſci.

XXVIII. Sanctum Benvenutum *ex ordine* fuiſſe *Minorum S. Franciſci*, & quidem *Primo*, contendit ejus vitæ, de qua nos ſupra, auctoritate Wadingus; admiraturque, quod, cum virum haberet ordo ſanctimonia clariſſimum, divinos honores a Martino IV. Summo Pontifice conſecutum, feſtam ejuſdem diem non celebraret (2). Quo factum poſtea puto, ut de hoc S. Benvenuto tamquam de ſingulari ordinis ornamento inſtitutum fuerit ſequentibus temporibus in ordine univerſo officium ſub ritu duplici majori die XXII. menſis Martii, qua migravit in cœlum. Plures ab hac opinione maxime alienos inveni. Neque enim intelligere poterant, ſibique ſuadere, exercitum fuiſſe ejus ordinis inſtitutum a S. Benvenuto, quem Urbanus IV. ornaverat dignitate Epiſcopali, cum *Archidiaconus* eſſet Anconitanæ Eccleſiæ, & ejuſdem Summi Pontificis *Capellanus*. Quid quod nullam legimus ab Urbano mentionem factam de S. Benvenuto tamquam alumno ordinis Sancti Franciſci in iis litteris, quibus eum Auximanis proponit Epiſcopum; cum tamen ea ſemper fuerit Summorum Pontificum conſuetudo, ut quoties ex aliquo ordine virum ad Epiſcopatum ſeligerent, id in publicis ipſorum litteris non prætermitterent (3)? Sed hæc aliaque plura nullum Wadingo negotium faceſſunt. Neque enim contendit datum a S. Benvenuto ordini Franciſcanorum nomen ante Auximanum Pontificatum; bene vero votum ab eo fuiſſe ejus ordinis inſtitutum in ipſo ſui Pontificatus limine; idque ab eo religioſe ſic adimpletum, ut ſemper in poſterum Franciſcanorum veſtibus uteretur. In cujus rei argumentum præter ejus vitæ auctoritatem, teſtes Wadingus appellat veſtes ipſas, quas etiamnum Auximi in principe Templo religioſe aſſerit aſſervari. Et vero

(1) Conſule Ughell. *ad hunc inter Auxim. num. in ſua Serie* 19.
(2) *Tom.* 5. *Annal. ad annum* 1286. *pag.* 3.
(3) Conſule eaſdem litt. apud Ughel. *ad hunc inter Auxim. num.* 19. *edit. Venet.* Et Martorell. *lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 127.

vero ipſi Auximates non negant, inter alias Sanctorum reliquias locum etiam habere cucullum quemdam, qui a S. Benvenuto adhibitus olim traditur. In eamdem rem etiam facit monumentum quoddam in tabulario Aſſiſienſi non ita pridem inventum, in quo crux quædam argentea *a Fratre Benvenuto Auximano Epiſcopo* oblata Sanctæ illi Baſilicæ memoratur (1). Hæc tamen apud me tanti non ſunt, fateri ut cogar, S. Benvenutum fuiſſe *Ordinis Primi S. Franciſci*. Quantæ eſſe debeat auctoritatis ea vita incerta ætate, incerto auctore conſcripta, nemini nota, a nemine viſa, cui totum pene innititur ædificium, ſatis hæc ipſa declarant. Quam levia ſint reliqua, facile quiſquis intelligit. Libenter tamen adducor ut ſentiam fuiſſe *Ordinis Tertii*, ejus ſcilicet, cui familiariſſimum tunc temporis erat adſcribi Imperatoribus, Regibus, Cardinalibus, Epiſcopis, aliisque, ut notum eſt. Si fuiſſet *Ordinis Primi*, ſi ſemper geſſiſſet veſtes ex legibus inſtituti, ſi omnium oculis eſſe *Primi S. Franciſci Ordinis* patuiſſet, fuiſſet ne in Eccleſia Auximana, imo in ipſo Minorum Ordine ante Wadingum de religioſo ejuſdem ſtatu tam altum, profundumque ſilentium? Sed redeamus ad Seriem.

Joannes Sancto Benvenuto ſuffectus non fuit probabiliſſime.

XXIX. Proximum Sancto Benvenuto *Joannem* quemdam ſufficiunt Zacchius, Martorellius, Pannellius: contenduntque hunc eum eſſe Joannem, qui cultum Beati titulo ab Auximanis obtinuit (2). Miratus ſum de ejus ſanctimonia quæſtionem moviſſe Pannellium, & dubitaſſe, utrum denominatus fuerit *Beatus* ex familiæ, vel ex ejuſdem peculiari cognomine, an potius honoris hunc cultum in ſanctimoniæ argumentum heroicæ ejuſdem virtutes ipſi meruerint (3). Mirari deſtiti, ut accepi nullum omnino remanere de ejus geſtis peculiare veſtigium, quique Joannes hic fuerit ignorari. Multo magis in me admiratio ceſſavit, ut comperi, vocari in dubium poſſe, Joannes ne hic Auximanæ Eccleſiæ aliquando præfuerit. Si enim certum eſſet, S. Benvenutum anno obiiſſe, non dicam

(1) Hæc in quodam antiquiſſimo indice de ea cruce ſunt ſcripta: *quam miſit Frater Benvenutus Epiſcopus Auximanus*.

(2) Vide Pannel. *monum. cap.* 2. *nota* 10. *pag.* 7.

(3) Vide eumdem ibidem.

cam 1286., ut volunt multi, ſed 1284., ut ſupra probavimus, eodemque defunčto commiſſam fuiſſe ab Honorio IV. Auximanam Eccleſiam Berardo, quis locus eſſet in hàc ſerie Joanni huic, quem tamen affirmant annos duos hanc Eccleſiam adminiſtraſſe? Hunc ego tamen ab hac ſerie delere non audeo. Cum enim emortualis S. Benvenuti annus monumentis, quæ ego ſciam, certis nondum firmatus fuerit, neque deſint, qui ejus obitum ad annum retrahant 1276., tertio ſolum ſupra decimum in Epiſcopatu tradučto, Joanni huic ante Berardum non ſolum ad duos, ſed ad plures annos in hac ſerie locus eſſet ampliſſimus. Quod ego huic Joanni (ſi fuit) donare non poſſum, illud eſt, quod is ille fuerit, qui Beati honorem meruerit ab Auximatibus, ſicuti Pannellius exiſtimat. Quis antem ille Joannes fuerit (fuiſſe enim Joannem Auximanum Epiſcopum inter Beatos relatum, cultumque ab Auximatibus (1), eſt extra dubium) mox obſervabimus.

Multo minus titulo Beati ab Auximatibus cultus.

XXX. Sive igitur *Joannes*, ſive *Berardus* S. Benvenutum exceperit, certum eſt, Berardo Cardinali creato, & ad Cathedram Præneſtinam dedučto, ſuffečtum fuiſſe Monaldum. Neque enim Eccleſiæ hujus Epiſcopus fuit Petrus ille Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, cui Cœleſtinus V. P. M. Eccleſiam hanc quidem tradidit, ſed adminiſtratoris nomine, dirigendam: de quibus omnibus conſulendus Ughellius. Monaldum *Joannes* excepit ab Æſinate ſede translatus ad Auximanam anno 1295. Iſque ille Joannes eſt, qui anno ſequenti S. Leopardi corpus feliciter adinvenit (2). Hunc ego eum cenſeo cum Ughellio, quem inter Cœlites Beati titulo venerati ſem-

Quis ille *Joannes* fuerit, qui virtutibus ſuis Beati titulum meruit.

E per

(1) Ex Conſulto Auximani Senatus a ſæculo uſque XIV., ut opinatur Pannell., inter dies colendos ille etiam recenſetur, quo memoria recolitur B. Joannis his verbis: *Item feſtivitates Beatorum Confeſſorum Leopardi, Vitaliani, Benvenuti, & Joannis, atque Vičtoris, & Coronæ, & feſtivitates glorioſorum Martyrum Florentii, Maximi, Siſinii, & Dioclet.* Innocentius etiam VIII. P. M. in iis litteris, in quibus Eccleſiæ theſauros aperit illis, qui ad reparanda Auximanæ urbis Templa opem, vel operam impendiſſent, de Beato Joanne mentionem fecit, ejuſdemque corpus inter cætera aliorum Sanctorum enumerat. Conſule Pannell. *Monum. cap.* 2. *nota* 10. *pag.* 7. & 8.

(2) De hac inventione corporis S. Leopardi anno 1296. conſule eumdem Pannell. ibid. *pag.* 5. & *ſeqq.*

per ſunt Auximates. Et vero id aperte traditur in actis Sancti Leopardi ſæculo XIV., immo paucos fortaſſe poſt annos ab hujus Joannis morte conſcriptis. In iis enim, ubi de corpore agitur S. Leopardi per ipſum invento, magna eum tunc ſanctimoniæ fama floruiſſe affirmatur his verbis: *Temporibus autem Bonifacii Papæ VIII. QUIDAM JOANNES AUXIMANORUM PRÆCLARUS EPISCOPUS SANCTITATE PLENUS, ET IN ECCLESIIS RESTAURANDIS SOLLICITUS, ET DEVOTUS, Baſilicam, quam S. Vitalianus in nomine, & honore S. Leopardi conſtruxit, propter ipſius brevitatem ſtuduit ampliare.* Clarius id ipſum ſignificat Stephanus ille Joannis Curialis Templi S. Petri olim rector, poſtea Canonicus Auximanus, de quo jam ſupra. Cum enim ageret de invento iterum ſancto eodem corpore, ſe præſente, anno 1479., & de ſuperiori ejuſdem ſancti corporis inventione per eum ipſum Joannem Epiſcopum anno 1296. mentionem faceret, eum *Beatum* aperta voce denominat in hunc modum: *Itaque poſt aliquod tempus rexit Eccleſiam Auximanam quidam Epiſcopus nomine JOANNES, QUI BEATUS DICITUR &c.* Tam igitur ſæculo XIV., quam XV. Joannes hic, de quo agimus, & Sanctus, & Beatus apud Auximates audiebat. Neque moveor, quod Stephanus ille, quæ de B. Joanne affirmavit, ex actis acceperit S. Leopardi noſtra etiam opinione damnatis. Præter quam quod enim in iis dumtaxat damnata a nobis ſunt cum Pannellio, quæ circa S. Leopardi ætatem, & geſta verſantur, animadverto, Joannem hunc Auximanam cathedram impleviſſe annis tribus ſupra viginti ad annum 1318. Acta autem illa non ſolum credi eodem ſæculo ſcripta, ſed fortaſſe a Joannis obitu proxime (1). An igitur veroſimile reputabimus, Auctorem actorum ejuſdem ætatis, & ſæculi ignoraviſſe, uter Joannes fuerit, qui a populo, Cleroque ſanctimonia præclarus, Beatuſque haberetur; adeo ut in recentiſſima re (neque enim ſæculum poterat ſuperare) quæ omnibus notiſſima eſſe debebat, erraverit?

XXXI. Hæc

(1) De ætate, qua ea acta ſcripta creduntur, conſule Pannell. *Monum. cap. 6. pag.* 45., & 46., qui tamen cenſet ſcribi potuiſſe etiam ad finem ſæculi XIV., vel etiam ante dimidium ſæculi XV. Utcumque tamen ſpatium eſt admodum breve.

XXXI. Hæc ego jam ſcripſeram, erantque in proximo, ut ederentur typis, cum certior factus ſum, in tabulario Auximano Epiſcopali tria monumenta tandem eſſe reperta, & quidem ejuſdem ætatis archetypa, quorum alterum confectum fuit die Martii 10. anni 1283., *Sancto Benvenuto adhuc Epiſcopo*; alterum die Aprilis *6.* ejuſdem anni, cum *Auximanus Epiſcopus eſſet Berardus*; tertium Sancti Benvenuti obitum ad diem 22. ejuſdem Menſis enunciat, anno non indicato. Sanctus igitur Benvenutus paucos ab iis tabulis dies obire debuit, eidemque ſic ſtatim Berardus ſuffici, ut die Aprilis *6.* jam eſſet & diceretur Epiſcopus. Quæ vera ſi ſunt, nulla amplius de eo Joanne remanet quæſtio, quem poſt S. Benvenutum ad duos annos Eccleſiam hanc adminiſtraſſe contendunt, clarumque fit, & manifeſtum, non hunc, qui nunquam fuit, ſed alterum, qui Monaldum excepit, Beati titulum ſuis virtutibus meruiſſe, ut ſupra probavimus. Mirum fortaſſe videri poterit, Berardum intra ſexdecim ab obitu S. Benvenuti dies habitum jam, dictumque Epiſcopum Auximanum. Rem fateor non ita frequentem, quæ tamen nec fidem ſuperat, nec caret exemplis. Quandoquidem Berardus cum Raynaldo, ut ſupra innuimus, de Callienſi Pontificatu acerrime contendebat, probabiliſſimum cenſeo tunc in Urbeveteri deguiſſe apud Martinum IV., ut apud eum Summum Pontificem illic a ſui Pontificatus exordio commorantem ſuam cauſſam urgeret. Cur itaque non potuit fieri, ut, Benvenuti obitu accepto, ad ſedandas Callienſes turbas Martinus Berardum a multo jam tempore ſibi cognitum pro Callienſi Auximana ſtatim infula decoraret? Quid, ſi Berardus, aut qui Berardi ſtudebant rebus in aula Summi Pontificis, ut audiverunt Benvenutum morbo laborantem extremo, interea egiſſent cum Summo Pontifice, ut vel ad tollenda in Callienſi Canonicorum Collegio diſſidia, vel ad præoccupanda in Auximano, ſuprema auctoritate, Benvenuto defuncto, ſtatim Berardum ſufficeret, & conſecraret?

Sanctus Benvenutus quo anno obierit. *Berardus* eidem ſuffectus, non *Joannes*.

XXXII. Beatum Joannem *Bernardus*, ſive *Berardus II.* ſequitur. Bernardum *F. Sinibaldus Ordinis Minorum*. Sinibaldo Epiſcopatum gerente, Civitatem Auximanam a

A quo Summo Pontifice urbs Auximana iterum orbata fuerit honore Cathedræ Epiſcopalis: quis tunc eſſet Epiſcopus ſæculo XIV.

Benedicto XII. dignitate Epiſcopali iterum ſpoliatam affirmat Ughellius (1). Mirum autem, quam ſibi non conſtet. Paulo enim ante ex Urbani V. Apoſtolicis litteris aſſeruerat ſumptam hanc fuiſſe de Auximatibus pœnam a Joanne XXII., non a Benedicto XII. (2). Neque ad hæc componenda locus eſt interpretandi, ſemel inflictam a Joanne XXII. in Auximates pœnam, a Benedicto poſtea XII. Sinibaldi Epiſcopi tempore confirmatam. Etenim, adhuc vivente Joanne XXII., Auximates pœnitentia eorum ducti, quæ, Patriæ tyrannis Lippatio & Andrea ex Gozzolinorum gente cogentibus, inviti fecerant, Legatis Avenionem ad Summum Pontificem Joannem XXII. ſelectis civibus, qui nomine publico patrata facinora deteſtarentur, & veniam peterent, obtinuerant, ut cum Romana Eccleſia communicarent, ab ea benigne exciperentur, priſtiniſque juribus, & honoribus (ſi dignitatem excipias Epiſcopalem, quam non niſi multo poſt tempore ab Urbano V. P. M. conſecuti ſunt, anno videlicet 1368.) iterum donarentur, ut ex publicis tabulis conſtat hac de re anno 1333. confectis, agente Petro Epiſcopo Mirapiſcen., qui Cardinalis Bertrandi Oſtienſis, & Veliternen. Epiſcopi Summi Pontificis in Piceno Legati locum tunc ſuſtinebat (3). Quænam vero fuerit vera puniendæ urbis cauſſa, aliter in Urbani, aliter in Joannis Apoſtolicis litteris (quod mirum videri poterit) declaratur.

Quænam fuerit cauſſa Auximanæ urbis orbandæ Epiſcopalis Cathedræ honore ſæculo XIV.

Urbanus V. in eo diplomate, quo anno 1368. Epiſcopalem ſedem Auximanæ urbi reſtituit, cauſſam, qua Joannes XXII. eam urbem diris devoverat, omnique honore, dignitate imprimis Epiſcopali ſpoliatam voluerat, a monſtruoſa repetit Gozzolinorum ſævitia in Berardum Epiſcopum carceri mancipatum, ærumniſque in eo confectum (4). Contra vero Joannes XXII. in alio diplomate,

(1) Conſule quæ narrat Ughellius in Auxim. ad F. Albert. Boſon. Ord. Præd. *num. in ſua ſerie per Coletum emend.* 25.

(2) Conſule quæ idem narrat Ughell. *tom.* 1. *Ital. ſac.* in Auxim. ad Bernard. *num. in ſua ſerie per Coletum emend.* 33.

(3) Sunt apud Martorell. *Monum. hiſt. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 151.

(4) Eſt apud Martorell. *Monum. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 158. in quo inter cætera hæc exponuntur: *Sane exhibita nobis pro parte Ven. Fratris noſtri Petri Epiſcopi diœceſis Eccleſiæ Auximanæ, olim Cathedralis, ac dilectorum filiorum Nicolai de Romanis de Auximo Notarii, & Secretarii noſtri, ac Cleri, & populi Terræ olim Civitatis Auximi petitio continebat, quod quondam Lippatius, & Andreas Fratres, natique Gozzolini milites Auximani,*

te, quod ad Sinibaldum Auximanæ Diœceſis (non Urbis) Epiſcopum dedit anno 1326., nulla in Berardum ſævitiæ facta mentione, illud unum aſſerit fuiſſe in cauſſa inflictæ a ſe in Auximates pœnæ tam rigidæ, *quod Auximani maligno ſpiritu concitati ab Eccleſia perfido, obſtinatoque animo deficientes patenter, & manifeſte rebellionis calcaneos erexiſſent*. Quin etiam ſe id feciſſe teſtatur in vivis adhuc agente, & Eccleſiæ Auximanæ regimini præſidente ipſo Berardo (1). Quæ componi cum nequeant, Joannis diplomati arbitror acquieſcendum. Cum enim ipſe Joannes is Pontifex fuerit, qui in Auximanos animadvertit, a quonam, quam ab ipſo de perpetrati criminis veritate, & gravitate certiores fieri poſſumus? Contra vero in Urbani diplomate ea narrantur, quæ nec ab ipſo ſunt juſſa, nec ab ipſo ſunt geſta, ſed ipſi ſolum repræſentata tanquam quæ a multo jam tempore contigiſſent. Hæc vera ſi ſunt, ſequitur, non niſi poſt eam Urbem Apoſtolico percuſſam fulmine a Joanne XXII., orbatamque Cathedra Epiſcopali, tot contumeliis affectum fuiſſe Berardum, & ad mortem uſque teterrimo carcere conflictatum.

XXXIII. Fra-

mani, qui Terram ipſam tunc Civitatem tyrannice detinebant, bon. mem. Berardum Epiſc. Auxim. Eccleſiæ Romanæ devotum capitali odio perſequentes, ipſum auſu ſacrilego ceperunt, & carceribus mancipaverunt, tantoque tempore tenuerunt captivum, quod idem Epiſcopus in eiſdem carceribus diem clauſit extremum, propter quod & nonnullos alios graves, & enormes exceſſus, ac contumacias, & inobedientiam eorumdem Lippatii & Andreæ, nec non Poteſtatis, Conſilii communis, & populi, & univerſitatis Civitatis ejuſdem, tunc dictis tyrannis faventium contra dictam Rom. Eccleſiam eorum matrem . . . . felicis record. Joannes XXII. prædeceſſor nonnullos proceſſus fecit . . . . tandemque ipſam Terram tunc, ut profertur, Civitatem dignitate, & honore Epiſcopali auctoritate Apoſtolica privavit &c.

(1) Eſt apud eumdem Martorell. *Monum. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 148. ex *Tom.* 3. *Annal Min. Wadingi:* In eo ſic legitur inter cætera: *Olim ſiquidem dum Eccleſia Auximana eidem Eccleſiæ Romanæ immediate ſubjecta Epiſcopalis Epiſcopatus titulo potiretur, ac bo. mem. Berardus Diœc. Auximanæ, tunc Auximanus Epiſcopus ipſius Eccleſiæ Auximanæ regimini præſideret; Nos exigentibus gravibus, & notoriis culpis, atque demeritis Univerſitatis, & Incolarum Terræ, tunc Civitatis Auxim., qui maligno ſpiritu concitati adverſus Nos, & Romanam Eccleſiam furentibus, & obſtinatis animis patenter, & manifeſte rebellionis calcaneos erexerunt, Nos, & dictam Rom. Eccl. provocando, & afficiendo multimodis injuriis, & offenſis, dictam Terram, tunc, ut præmittitur, Civitatem de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis Epiſcopalis dignitatis honore privavimus, juſtitia exigente, ac voluimus, & decrevimus de conſilio, & plenitudine antedictis, ut ex tunc idem Berardus, & qui ſucceſſor in antea pro tempore ſibi foret, Auximanæ Diœceſis Epiſcopus vocaretur.*

Fr. Sinibaldo Ordinis Min. non ſuffectus fuit *Raynaldus*, ſed *Fr. Albertus Boſonius* Ord. Prædicat.

XXXIII. Fratri Sinibaldo *Raynaldum* quemdam ſufficit Martorellius (1). Cum vero nulla de eo proferat monumenta, & apud Ughellium memorentur Apoſtolicæ Clementis VI. litteræ, in quibus defuncto Epiſcopo Sinibaldo, & F. Luca de Caſtello Ordinis Minorum eam infulam recuſante, deſignatus Auximanæ Diœceſis Epiſcopus dicitur *F. Albertus Boſonius Ordinis Prædicatorum* anno 1342. VIII. Kal. Septembris ejuſdem Pontificatus I. (2), non video quomodo poſt Sinibaldum poſſit intrudi Raynaldus.

Fr. Alberto ſuffectus fuit *Fr. Lucas Mannellus* ejuſdem Ordinis, non Corradus.

XXXIV. *F. igitur Albertus Boſonius* Sinibaldum excepit: *F. Lucas Mannellus* F. Albertum: *F. Petrus ex ordine eodem* F. Lucam Mannellum, ut apud Ughellium. Alberto tamen *Corradum* neſcio quem ejuſdem Prædicatorum ordinis cum Ughellio ſufficit Martorellius (3). Sed cum Innocentius VI. P. M. in Apoſtolicis ſuis litteris ad populum Auximanæ Diœceſis datis anno 1358. [non 1357. ut vult Ughellius], eum monitum eſſe voluerit, ſe, F. Luca Mannello ab Auximana ad Fanenſem ſedem traducto, *F. Petrum Simeonem Maſſeium Ordinis pariter Prædicatorum* Auximanum Epiſcopum deſignaſſe (4); certumque ſit ex lapide ſepulcrali, F. hunc Petrum Aſculi in patria obiiſſe anno 1381. (5), nemo non videt, nec locum hic habere potuiſſe inter utrumque Corradum, neque Urbano V. Summo Pontifice, ut ait Ughellius, Auximanam Eccleſiam adminiſtraſſe. Illud etiam ex his ſequitur, Ughellium non ſatis caſtigari a viro Cl. neminique non noto Franciſco Antonio Zacharia Soc. Jeſu, quod initium Auximani Pontificatus Petri Simeonis Maſſei ad annum ſtatuerit 1373., cum ad annum 1369. ſtatuere debuiſſet. Neque enim ſolum addendi ſunt ii tres anni, quos vir eruditiſſimus addendos monet ex iis publicis litteris, quas commendat (6); ſed unus ſupra viginti,

Fr. Petrus Simeon Maſſeius Ord. Prædicat. quando *Fr. Lucæ Mannello* ſuffectus.

(1) *In Catal. Epiſc.* ad calcem monum. *pag.* 426.
(2) Conſule Ughell. ad hunc inter Auxim. *in ſua Serie per Colet. emend. num.* 25.
(3) Ibidem.
(4) Sunt apud Ughell. *in Auxim. ad F. Petrum num. in ſua Serie emend. per Col.* 27.
(5) Eſt apud Ughell. ibid.
(6) Conſule ejuſdem excurſ. litt. *cap.* 14. *diſſ. de antiquis monum. amandis num.* 9. *pag.* 282.

ginti, quot ſcilicet ab Innocentii diplomate, anno dato ejuſdem Pontificatus I., ſive 1352., annum interjacent 1373. (1). Cæterum Ughellius caſtigatus jam ſatis fuerat, redditique jampridem Petro omnes ii anni, quos in Pontificatu jam antea exegerat (2).

Theodoſius Florentius quando deſignatus a Sixto V. P. M. Auximanus Epiſcopus ſæculo XVI.

XXXV. Debemus tamen eidem eruditiſſimo viro, quod *Theodoſius* ex nobiliſſima Auximana gente *Florentia*, quem Ughellius vocatum aſſeruit ad Auximanum Pontificatum a Sixto V. anno 1588. die menſis Julii vigeſima ſeptima, cognoſcatur a nobis ante tres menſes deſignatus fuiſſe ſuæ Patriæ Pontifex. Etſi enim verum ſit VI. ſolum Kal. Auguſti ejus anni Theodoſium impetraviſſe a Sixto V., ut in poſſeſſionem hujus Eccleſiæ immitteretur, antequam ei conſueta Pontificia diplomata traderentur; attamen Summus is Pontifex a die VI. ante Kal. Majas ejuſdem anni eumdem ſacro Cardinalium Collegio Epiſcopum Auximanum jam declaraverat. Hujus rei argumentum ſunt peculiares quædam Sixti ejuſdem litteræ, quas P. Zacharias & ſe vidiſſe teſtatur, & recitat (3). Sed hæc levia dici poſſunt. Majora ſunt, quæ ab ipſo optimis monumentis egregie referto, ut idemmet ingenue fatetur, de rebus Auximanorum, præcipue quæ ad Epiſcopos pertinent, diu litterarius orbis expectat, cum ipſe promiſerit (4). Nos monumentis hujuſmodi deſtituti ea protulimus, quæ apud Scriptores invenire potuimus; nihil de iis ſolliciti, quæ ad hiſtoriam Epiſcoporum pertinent, cum hæc inſtituti noſtri non ſint, ſed quæ unice ad ſeriem Ughellianam emendandam ſpectant.

(1) Conſule Ughell. *ibid:* ubi legere eſt Innocentii diploma ad populos diœceſis Eccleſiæ Auximanæ.
(2) Conſule Ughell. *edit. Venet. anno* 1717. *ibidem*.
(3) Conſule eumdem *ibid. pag.* 281.
(4) Ibid. *pag.* 282. *nota* 19.

UGHELLIANA *Epiſcoporum Auximanorum Series.*		UGHELLIANA *Epiſcoporum Auximanorum Series emendata.*		
1	S. Leopardus	1	S. Leopardus	(1)
2	S. Vitalianus I.	2	S. Vitalianus I.	(2)
3	Joannes	3	Conſtantinus	(3)
4	Vitalianus II.	4	Joannes	
5	Germanus	5	Fortunatus ex Luc.	
6	Andreas	6	Vitalianus II.	
7	Petrus	7	Germanus	
8	Leonardus	8	Andreas	
9	Gislerius I.	9	Petrus	(4)
10	Lotharius I.	10	Attingus	(5)
11	Gislerius II.	11	Leonardus	(6)
12	Guarnerius	12	Gislerius I.	(7)
13	Gentilis	13	N. N.	(8)
14	Lotharius II.	14	Gislerius II.	(9)
15	Sinibaldus de Sinibal.	15	Lotharius I.	(10)
16	Ramerius	16	Guarnerius	(11)
17	S. Benvenutus	17	Grimoaldus	(12)
18	Berardus	18	Gentilis	(13)
19	Monaldus	19	Lotharius II.	(14)
20	Joannes	20	Sinibaldus de Sinib.	(15)
			Joannes	(16)
21	Bernardus, qui & Berardus	21	Rainerius, ſive Ramer.	

22 F.Si- 22 S.Ben-

(1) De hoc vide ſupra num. IV.. & ſeqq.
(2) De hoc vide ſupra num. IX., & ſeqq.
(3) De hoc vide ſupra num. XIV.
(4) De hoc vide ſupra num. XIV.
(5) De hoc vide Lucent.
(6) De hoc vide ſupra num. XV.
(7) De hoc vide ſupra num. XVI., & ſeqq.
(8) De hoc vide ſupra num. XVI., & ſeqq.
(9) De hoc vide ſupra num. XVIII., & ſeqq.
(10) De hoc vide ſupra num. XX.
(11) De hoc vide ſupra num. XXI.
(12) De hoc vide ſupra num. XXII.
(13) De hoc vide ſupra num. XXIII.
(14) De hoc vide ſupra num. XXIV.
(15) De hoc vide ſupra num. XXV.
(16) De hoc vide ſupra num. XXVI.

UGHELLIANA *Epiſcoporum Auximanorum Series.*		UGHELLIANA *Auximanorum Epiſcoporum Series emendata.*	
22	F. Sinibaldus	22	S. Benvenutus (1)
			Joannes (2)
23	F. Albertus Boſonius	23	Berardus I. (3)
24	F. Lucas Mannellus	24	Monaldus
25	F. Petrus Simeon Maſſejus	25	B. Joannes (4)
26	Petrus II.	26	Berardus II. (5)
27	Joannes Grimaldeſchius	27	F. Sinibaldus
			Raynaldus (6)
28	Bartholomæus	28	F. Albertus Boſonius
			Corradus (7)
29	F. Petrus Herculanus	29	F. Lucas Mannellus
30	Nicolaus	30	F. Petrus Simeon Maſſejus (8)
31	Andreas	31	Petrus II.
32	Joannes Præfettus	32	Joannes Grimaldeſchius
33	Gaſpar Zacchius	33	Bartholomæus
34	Lucas I. Carduccius	34	F. Petrus Herculanus
35	Lucas II.	35	F. Nicolaus
36	Paris Ghirardellus	36	Andreas
37	Ant. Ugolin. de Sinibaldis	37	Joannes Præfettus
38	Jo. Bapt. Sinibaldus	38	Gaſpar Zacchius
39	Cyprianus Senilis	39	Lucas I. Carduccius
40	Bernardinus de Cuppis	40	Lucas II.
41	Cornelius Firmanus	41	Paris Ghirardellus
42	Theodoſius Florentius	42	Ant. Ugol. de Sinibaldis
43	Ant. Maria Card. Gallus	43	Jo. Bapt. Sinibaldus
44	Auguſt. Card. Galaminus	44	Cyprianus Senilis
45	Hieronymus Card. Veroſpius	45	Bernardinus de Cuppis
46	Ludovicus Bettus	46	Cornelius Firmanus

47 Anto-

F 47 Theo-

(1) De hoc vide ſupra num. XXVII., & XXXI.
(2) De hoc vide ſupra num. XXIX., & XXXI.
(3) De hoc vide ſupra num. XXVII., & XXXI.
(4) De hoc vide ſupra num. XXX.
(5) De hoc vide ſupra num. XXXII.
(6) De hoc vide ſupra num. XXXIII.
(7) De hoc vide ſupra num. XXXIV.
(8) De hoc vide ſupra num. XXXIV.

UGHELLIANA *Epiſcoporum Auximanorum Series.*		UGHELLIANA *Epiſcoporum Auximanorum Series emendata.*	
47	Antonius Card. Bichius	47	Theodoſius Florentius (1)
48	Opitius Card. Pallavicinus	48	Ant. Maria Card. Gallus
49	Michael Ang. Card. de Comitibus.	49	Aug. Card. Galaminus
		50	Hieronymus Card. Veroſpius
		51	Ludovicus Bettus
		52	Ant. Card. Bichius
		53	Opitius Card. Pallavicinus
		54	Michael Ang. Card. de Comitibus.

55 HORATIUS PHILIPPUS CARD. SPADA Patricius Lucenſis cum ſe ab Eccleſia Patriæ ſuæ abdicaviſſet, procurandam hanc Auximanam accepit XV. Kal. Octobris anno 1714.. Eccleſiaſticæ libertatis egregius fuit aſſertor. Cumque ad firmandam Eccleſiaſticam diſciplinam multus incumberet, Diœceſana habita Synodo, ad eam rem multa utiliter, prudenterque ſancivit. Pro ſummo ſuo erga Beatiſſimam Virginem ſtudio inter plura, quæ ad propagandum ejuſdem cultum inſtituit, ejus Iconem (de Miſericordia dicunt Auximates) acceptorum beneficiorum frequentia percelebrem Canonicorum Collegii Vaticanæ Baſilicæ nomine aureo diademate coronandam curavit. Xenodochium ad pauperum infirmorum perfugium novis ædibus auxit, auctumque neceſſaria ſuppellectile inſtruxit. Paræcias, quibus erant nimis ampla confinia, ut incolarum commodo, utilitatique ſerviret, in plures charitate provida diſpertivit. Imprimis vero rem cogitavit, perfecitque ſummæ toti diœceſi utilitatis. Nam egit cum Clemente XI. P. M., impetravitque, ut ædes nobilis Campanæ gentis, quæ cum ampla hæreditate novo ſacrarum earum Virginum, quas Capucinas dicimus, excitando cœnobio fuerant ex teſtamento relictæ (quod & minus neceſſarium reputabatur, & jam fuerat præoccupatum) in novum Collegium converterentur Epiſcopali Seminario conjunctum. In cujus rei teſtimonium hoc monumentum in aula Collegii ex marmore poſuit.

D. O. M.

(1) De hoc vide ſupra num. XXXV.

D. O. M.
Has Ædes
A Friderico & Mutio de Campanis
Patritiis Auximatibus
Sanctimonialium Cœnobio inſtituendo
Una cum amplo patrimonio legatas
Pio eorum voto Benedictæ Viganegæ
Munificentia præoccupato
Apoſtolica Sedes
Ad informandam bonis moribus
Et artibus juventutem
Hæreditatis jure tranſcripto
In Collegium Epiſcopali Seminario unitum
Publicæ utilitatis incremento convertit
Horat. Philip. S. R. E. Presb. Card. Spada
Epiſcopus Auximanus
Perenne monumentum poſuit
Anno ſalutis MDCCXVIII.

Magnam etiam curam ad augendum Sponſæ ſuæ decus adhibuit. Præter ſiquidem argenteum ſimulacrum, quod S. Theclam repræſentaret, præter argenteas thecas, in quibus inſignes Sanctorum Reliquiæ colendæ fidelibus proponerentur, novam etiam, divitemque ad omnem ſacrorum uſum ſupellectilem Cathedrali Templo dono dedit, & ſedes Canonicorum venuſtiſſime renovavit. Obiit Romæ VI. Kal. Quintiles anno 1724.. In hujus Antiſtitis Pontificatu INNOCENTIUS XIII., qui ipſi proxime in hoc Sacerdotio præiverat, ubi primum Petri Cathedram implevit, Sponſæ non immemor ſuæ lampadem ex argento affa-

F 2 bre

bre elaboratam Cathedrali Templo donavit, addito cenſu, quo perpetuo ante aram principem colluceret. Collegio etiam Canonicorum benigne indulſit, ut Pontificali magna diploide induti ſacris adeſſent. Quare hoc in aula Canonicorum ab ipſis inſcriptum eſt in marmore monumentum.

Innocentio XIII. Pont. Opt. Max.
Auximanam Eccleſiam
Quam olim Epiſcopus decoraverat
In ſummo Vaticani faſtigio
Novis honoribus proſequuto
Capitulum & Canonici
Ob Pontificalis Cappæ ornamentum
In ipſo ſacri Principatus limine
Inuſitata munificentia
Sibi ultro delatum
Perenne grati animi monumentum
poſuere
Anno Dom. MDCCXXI.

56 AUGUSTINUS PIPIA natione Sardus ex Prædicatorum Familia vir doctrina, prudentia, & religione præclarus, cum eſſet generalis Ordinis ſui Magiſter, vacuam ex obitu Horatii Spadæ ſedem Auximanam implere juſſus eſt XIII. Kalend. Januarias anno 1724. & paulo poſt a Benedicto XIII. P. M., cui virtutes acceptiſſimum fecerant, honorem Romanæ Purpuræ obtinuit. Coacta Synodo Diœceſana, decreta Romani Concilii, quod Benedictus habuerat in Baſilica Lateranenſi anno ſæculari 1725., ut ab omnibus adimplerentur, edixit. Quo tempore cum Collegiata Cinguli Eccleſia in Cathedralem beneficio ejuſdem ſummi Pontificis rediviſſet, Cathedram ibidem ſtatuit Epiſcopalem ab Auximana diſtinctam. Cum annos quatuor utrique Eccleſiæ magna ſui nominis commendatione præfuiſſet, ab iis ſe ultro

ab-

abdicavit: Romamque reverſus non multo poſt obiit anno 1730. IX. Kal. Martias elatus in S. Mariæ ſupra Minervam, ubi ſequens de eo legitur epitaphium.

D. O. M.
F. Auguſtino Pipia natione Sardo
Ordinis Prædicatorum
Sac. Cong. Indicis Secret.
Et totius Ord. Mag. gen.
S. R. E. hujus Templi Tit. Presb. Card.
Et Auximanæ Eccleſiæ Antiſtiti
Qui ea dimiſſa Romæ obiit
XXI. Februarii MDCCXXX.
Æt. ſuæ LXIX.
Et in proximo F. F. ſepulcro
Tumulari voluit
Ne tanti viri in Theologica ſcientia
verſatiſſimi
Religione, prudentia, cæteriſque
Virtutibus præclari
Memoria periret
F. F. hujus Conventus S. Dominici
Majoricen. S. Martini Arboren. PP.

57 PETRUS SECUNDUS RADICATUS a Caſalenſi ſuæ Patriæ Eccleſia, cui annos ſeptem ſupra viginti magna vigilantiæ, & conſtantiæ laude præfuerat, ad Auximanam, & Cingulanam deducitur pridie Idus Aprilis anno 1728. Pedibus ex podagra impeditiſſimus in univerſa tamen,

ut

ut potuit, perluſtranda Diœceſi, oviumque ſuarum ſtatu ſuiſmet oculis cognoſcendo, laudem ſibi Paſtoris vigilantiſſimi confirmavit. Ædibus Epiſcopalibus amplificatis, ſodalitio, quod a bona morte denominatur, in Auximano Cathedrali Templo inſtituto, pauperibus large donatis, de litteris, litteratiſque optime meritus brevi temporis ſpatio magnum deſiderium ſui reliquit. Morbo extremo correptus, cum ſe morti proximum intellexiſſet, vivens in ſepulcri locum deferri voluit, ubi convocato Canonicorum Collegio gravem ad eos ſermonem inſtituit de cognoſcendis humanæ vitæ miſeriis, & brevitate, de vanis mundi illecebris contemnendis, de cogitationibus ad comparandam æternæ vitæ felicitatem unice dirigendis. Ad cubile relatus poſt diem VI. animam reddidit Kal. Decembribus anno 1729.. In marmoreo monumento hæc de eo inſcriptio legitur.

Petrus Secundus Radicati
Ex Comitibus Cocconati & Cellarum
Urbis Caſalenſis Patricius
Ejuſque Eccleſiæ per annos XXVII.
Epiſcopus olim vigilantiſſimus
A Benedicto XIII. P. M. deinde translatus
Ad Cathedralem Urbis hujus Auximanæ
Quæ traditum ſibi Paſtorem
Suos inter Patricios
Adſcribere quoque gaviſa eſt
In paſtorali regimine menſes XVII.
Præclare vixit
Et die prima Decembris
Anno ſalutis MDCCXXIX.
Piiſſime obiit æt. ſuæ LIX.

Seden-

Sedente hoc Epiſcopo Collegium Canonicorum Cingulanum a Benedicto XIII. P. M. uſum Pontificalis magnæ diploidis impetravit.

58 F. FERDINANDUS AUGUSTINUS BERNABEUS Anconitanus Ordinis Prædicatorum poſt adminiſtratam magna cum laude Aquipendenſem Eccleſiam Petro Radicato in Auximana, & Cingulana ſufficitur IV. Nonas Decembris 1729.. Valetudine cum eſſet infirma, quominus tamen utramque Diœceſim excurreret prohiberi non potuit. Singulis boni Paſtoris partibus quantum per valetudinem licuit, adimpletis, vivere deſiit V. Idus Martii anno 1734.

59 JACOBUS LANFREDINIUS Florentiæ nobilibus parentibus natus humanioribus, philoſophicis, & theologicis ſtudiis apud Patres Scholarum piarum tam ſingularem operam poſuit, ut non minus eſſet in profana, quam ſacra eruditione verſatus. Legibus poſtea cognoſcendis penetrandiſque cum animum adjeciſſet, & laurea in utroque jure donatus Romam veniſſet, inter egregios temporis ſui cauſſarum patronos honorificentiſſimum locum tenuit. Præſulum numero poſtea adſcriptus, variiſque muneribus exercitatus eam apud omnes aſſecutus eſt, doctrinæ, & probitatis famam, ut a ſecretis Sacræ Concilii Congregationis (quod munus niſi doctiſſimis, & bene probatis concedi non ſolet) a Clemente XII. P. M. fieri omnium plauſu meruerit. Spartam hanc ſic illuſtravit doctiſſimus, & probiſſimus vir, ut diligentia, & æquitate perpauci ipſum æquaverint, ſuperaverit nemo. Itaque virum virtute, doctrina, meritis commendatiſſimum Clemens XII. P. M. in ſacrum Senatum cooptavit IX. Kal. Aprilis anno 1734., eique poſt triduum Auximanam, & Cingulanam commiſit Eccleſias. Auximum poſtero menſe profectus ab utraque Diœceſi luſtranda exorſus eſt, ut & oves cognoſceret ſuas, & a ſuis ovibus cognoſceretur, & quid caſtigandum, quid inſtaurandum, quid inſtituendum ſuis ipſe oculis intueretur. Comitiis inde Synodalibus habitis, cum perſpexiſſet in quantam utriuſque Eccleſiæ utilitatem id redundaret, in more poſtmodum habuit, ut frequenter Diœceſim excurreret, & Synodales conventus annis prope ſingulis celebraret. Hinc diſciplina opportunis præceptis, inſtitutiſque firmata: revocati ad legem Chriſti populorum mores: juſſa exulare ex ore fidelium injurioſa in Deum verba: vitia denique omnia quantum fieri humanitus poteſt eliminata; inter quæ ebrietas ita repreſſa, ut qui popinis rem augere ſolebant, quæſtum ſibi perire conquererentur. Miſericordia præterea cum eſſet in pauperes ſingulari, magna in ſemet auſteritate, & religione, ſtudioque divini verbi annunciandi, cæteriſque fulgeret virtutibus, quæ Epiſcopum decent, conſtans fuit, vigetque adhuc opinio, Lanfredinium Sancti Caroli Borromæi

mæi ſatis prope tenuiſſe veſtigia. Plebis Montis Filiorum Optrani Paræciam, cujus ditio excurrebat in loca campeſtria nimis diſſita, anguſtioribus finibus circumſcripſit, novo Templo, novaque domo ſuis ſumptibus excitatis, & novo itidem Parocho conſtituto. Seminarium etiam in duas quaſi partes diſtinctum impetrata a Summo Pontifice facultate in unum redegit, novas illi ædes adjunxit, opportunumque in agro Auximano adortus eſt domicilium, in quo Alumni procul a ſtrepitu, paternæque domus illecebris honeſte ruſticarentur. Adverſa tamen interea valetudine affectus Romam reverſus nuncium remittere Eccleſiæ ſuæ cum ſummo ejuſdem dolore coactus eſt. Ibi ſtatim Congregationi pro tuendis Eccleſiæ juribus inſtitutæ præfectus, jura ipſa, immunitateſque animo magno ſuſtinuit. Rei Sancti Spiritus in Saxia, quæ non parum fuerat imminuta, adminiſtrandæ, procurandæque cum ſumma auctoritate præpoſitus eam ſic ordinavit, ut repararetur, & augeretur. Anno tamen necdum præterito vitam præclare traductam felici morte concluſit XVII. Kal. Junii anno 1741. Elatus eſt in Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyterorum, quos Miſſionarios vocant in Monte Celio, quibus antea poſt domicilium amplificatum, Templum quoque prope Curiam Innocentianam a fundamentis extruxerat, hæredibus iiſdem Presbyteris inſtitutis. Quamobrem pro tantis meritis in interiori Templi parte ſupra januam hæc illi decreta fuit inſcriptio.

Jacobo Sanctæ Mariæ in Porticu
Diac. Cardinali Lanfredino
Quod
Ædibus jampridem amplificatis
Templum a fundamentis extruxerit
Poſtremo hanc Miſſionis domum
Hæredem ſcripſerit
Congregatio tot beneficiis cumulata
P. C. A. S. MDCCXXXXI.

60 POMPEJUS COMPAGNONIUS Patritius Maceratenſis Auximanum, & Cingulanum Pontificem agere juſſus eſt XVI. Kal. Octobris anno 1740.. Morem ejus modeſtiæ, voluntatique geſturus abſtineo

neo ab ejus laudibus, quæque præclariſſima geſſit in utriuſque Diœceſis utilitatem, aliis commemoranda relinquo; ut unum tamen aut alterum, quod omnium oculis ita pateat, ut ignorari, vel celari non poſſit, leviſſime mihi attingere liceat. Primum eſt Aſceterium in urbe Auximana non modico ejus ære fundatum, in quo pauperes eæ puellæ reciperentur, quæ eſſent parentibus deſtitutæ, ut ab omni remotæ virginitatis perdendæ periculo pietatem colerent, & Religionis Chriſtianæ dogmata non minus, quam operari conſilio manuum ſuarum edocerentur. Opus profecto magnæ toti Diœceſi utilitatis, ſive animarum ſalutem ſpectes, ſive, ut ajunt, temporarium Reipublicæ emolumentum. Ab hoc opere tam præclaro ſejungi non debet, quod Cinguli ad puellas erudiendas ſcholam ſuis ſumptibus aperuerit: Auximi vero pias eas virgines, quas inſerviendo Monialibus Capuccinis addictas invenit, ad tradenda puellis fidei rudimenta, juxta priſtinum, quod amplexatæ fuerant, & a quo receſſerant, inſtitutum revocaverit; ſimulque ad artium muliebrium præcepta, annuum ſexaginta ſcutor. ſtipendium ijſdem exſolverit, locumque ampliorem, quo ad ſcholam adoleſcentulæ convenirent, liberali ſumptu a fundamentis excitaverit. Alterum eſt peculiaris Clericorum, & Convictorum inſtitutio in Seminario, egregii ad eos inſtituendos conſtituti moderatores, & præceptores; ſolidiſſima invecta diſciplinarum ſtudia; accitus ejuſdem ſumptibus, qui traderet græcæ linguæ præcepta. Inſtituti academici frequentes cœtus, in quibus de Hiſtoria Eccleſiaſtica lucubrationes ſe præſente recitarentur: bibliotheca imprimis egregia, optimis libris, præcipue ſanctorum Patrum operibus ære proprio comparatis inſtructa, eidemque Seminario donata. Ad Compagnonii Pontificatum ingens hoc decus reſervaverat Deus, ut ſacra capita Sanctorum Florentii, Siſinii, atque Sociorum fauſte feliciterque adinventa, riteque recognita una cum eorum corporibus religioſa quanta potuit pompa, apparatuque poſt hominum memoriam maximo per urbem delata, Auximatibus colenda proponerentur anno 1751.. Ibit etiam in Auximanos faſtos, Sancti Leopardi primi Auximatium Epiſcopi corpus, quod nec admodum tuto, nec multum decore in antiqua rudique arca lapidea cuſtodiebatur, poſt omnia religioſe adimpleta, quæ ad explorandam ſacri ejuſdem corporis veritatem, conditionemque oportere fieri ſancita ſunt, per urbem celebritate ſimili elatum marmoreo tumulo decentiſſime incluſum fuiſſe a Compagnonio, & ſub ara eidem ſacra inferioris Eccleſiæ collocatum anno 1754., quod propediem in ſacris quoque corporibus Ss. Vitaliani, & Benvenuti ejuſdem Civitatis Epiſcoporum faciendum expectamus. Epiſcopo vigilantiſſimo de utraque Eccleſia egregie merito felicitatem Auximates, & Cingulani precantur.

APPENDIX

De Eccleſia, & Epiſcopis Cingulanis.

Utrum antiquis temporib. qui erat Auximanus, Cingulanus etiam eſſet Epiſcopus.

I. QUæ de Eccleſia, & Epiſcopis Cingulanis occurrunt, a Coleto (1), aliiſque præoccupata cum fuerint, iis ego pauca ſubjiciam. Suos ab antiquo tempore Epiſcopos habuiſſe, a quibus utraque adminiſtraretur Eccleſia Auximana, & Cingulana, præter Ughellium, alii ſunt qui contendunt, Martorellio contra acriter adnitente (2). Ego vero miror, tantas excitatas fuiſſe turbas de re, quæ minime mihi videtur dubia. Cum enim negari non poſſit, Cingulanæ Eccleſiæ peculiares Epiſcopos ab Auximatibus omnino diſtinctos aliquando præfuiſſe, quod Martorellius ipſe ægre quidem, ſed tamen inficiari non audet (3); neque ulla ſint monumenta, quibus Epiſcopali honore aliquando ſpoliatam fuiſſe diſcamus: ſed probabiliſſimum potius ſit, eidem fato miſero funeſtoque, quo complures aliæ, fuiſſe ſubjectam, ſcilicet vel ex temporum iniquitate, vel ex peſtilentiæ cujuſpiam vi, vel ex barbarorum devaſtatione incolis pene vacuam, ſuiſque proinde Epiſcopis deſtitutam, viciniori Auximatium Eccleſiæ providentia Romani alicujus Pontificis acceſſiſſe; ſequitur, ut qui exinde Auximas fuit, fuerit etiam Epiſcopus Cingulanus. Quæ enim Eccleſia ex decreto Romani Pontificis Epiſcopalis Cathedræ honore ex aliqua peculiari cauſſa non decidit, ſed alteri Eccleſiæ, cogente neceſſitate, coaluit, eam, data quacumque temporis intercapedine, ſive, ut inquiunt, *præſcriptione*, nunquam Cathedralis honore privatam intelligi, & Honorius III. P. M. declaravit (4), & earum Eccle-

(1) *Tom. X. Ital. Sacr. de Ep. Cing.*
(2) Conſule Ughell. *in præl. ad Ep. Auxim.* Conſule Martorell. *in ſuis Monum. hiſt. Auxim. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 33., *& ſeqq.*
(3) Ibid. *pag.* 35.
(4) Conſule Ughell. in Epiſcop. Interamn. *Tom.* 1. *Ital. Sacr. ad Bened. num. in ſua Serie* 23. Ibi legere eſt Honorii Decretum directum Petro priori, & Clericis Interamn. in quo inter cætera hoc dubium ſolvit.

Eccleſiarum exempla confirmant, quæ cum eadem neceſſitate alteri ab antiquis temporibus adhæſiſſent, peculiares tandem ſuos Epiſcopos recuperarunt, nulla remotiſſimi temporis habita ratione (1). Neque quod Auximates Epiſcopi nunquam dicti fuerint Epiſcopi Cingulani, conſequens eſt, [ut Martorellius argumentatur] Cathedram Cingulanam potius quam unitam, Auximati fuiſſe ſubjectam. Si enim Auximates Epiſcopi ab utraque Eccleſia denominati non ſunt, ſatis eſt, ut denominari potuerint, quod certe nemo negaverit, qui Eccleſiam Cingulanam Epiſcopali honore nunquam ſpoliatam fuiſſe concedat. Cum plurima habeamus Eccleſiarum exempla antiquis temporibus unitarum, non eamdem in omnibus ſervatam fuiſſe videmus conſuetudinem, & diſciplinam. Plures Epiſcopos legimus, qui utriuſque Eccleſiæ titulos adhibuerunt: plures etiam, qui, unius tantum Eccleſiæ facta mentione, alteram perpetuo ſilentio præteriverunt. Rem exemplis non confirmabo. Qui ea deſiderat, Dominicum Georgium adeat plurima proferentem, & de hac re eruditiſſime differentem (2). Cum igitur Cingulana Eccleſia Cathedræ jus, honoremque nunquam amiſerit, negari poſſe non video, unum eumdemque Epiſcopum Auximatem utrique Eccleſiæ præfuiſſe, exemplo iis temporibus familiari. Sed ad Epiſcopos veniamus.

Julianus utrum Epiſcopus Cingulanus in Piceno ſeculo VI.

II. Julianum Epiſcopum huic Eccleſiæ præfuiſſe ſæculo VI. dubitare non poſſumus. Siquidem inter cæteros, qui Vigilium Summum Pontificem ſecuti Conſtantinopolim ſunt, ejuſdemque decretum in cauſſa trium capitulorum ſuo calculo confirmarunt anno 553., *Julianus* etiam legitur *Cingulanus* Epiſcopus in hunc modum: *Julianus humilis Epiſcopus Eccleſiæ Cingulanæ huic conſtituto conſentiens ſubſcripſi* (3). Nullum conatum non adhibet Martorellius, ut monumenti hujus vim aut penitus tollat,

(1) Eccl. Interamnenſis cum prius Narnienſi, inde Spoletanæ adhæſiſſet annis quingentis circiter, ut a peculiaribus ſuis Epiſcopis iterum regeretur obtinuit ab Honorio III. poſt longam concertationem. *Conſule Ughell. ibidem*. Eccleſia Galleſiana cum Eccleſiæ Civitatis Caſtellanæ a trecentis circiter annis fuiſſet unita, peculiari paſtore ſuo iterum donata fuit a Pio IV. P. M., Hieronymo ſcilicet Garimberto. *Conſule Colet. tom. X. Ital. ſacr. in Galleſianis*.

(2) De Cath. Setina *num.* 88. *pag.* 140.

(3) Baron. *ad ann.* 553. *num.* 209.

lat, aut ſaltem extenuet. Aſſerit primo, facile factum fuiſſe, ut amanuenſis erraverit, & Julianum Eccleſiæ Cingulanæ Epiſcopum ſcripſerit, cum nomen alterius Eccleſiæ ſcribere debuiſſet. Secundo, Julianum Cingulanæ ejus Eccleſiæ fortaſſe fuiſſe, quæ erat in Latio, non in Piceno; Populi enim Cingulani etiam in Latio memorantur a Plinio (1). Tertio denique, adhuc poſito, Julianum fuiſſe Cingulanum Epiſcopum in Piceno, non ideo ſequi locum inter urbes tunc Cingulum habuiſſe, cum iis temporibus in vilioribus etiam oppidulis aliquando Epiſcopi reperirentur. Conatus tamen hujuſmodi videntur mihi admodum tenues.

III. Et quidem ad primum quod pertinet, non unum eſt monumentum præter adductum, in quo idem Julianus Eccleſiæ Cingulanæ dicatur Epiſcopus. *Julianus* enim *Cingulanus Epiſcopus* ſemel, atque iterum a Vigilio memoratur in ea ſententia, quam contra Ruſticum, & Sebaſtianum Eccleſiæ Romanæ Diaconos, cum adhuc eſſet Conſtantinopoli, tulit (2). Holſtenius præterea antiquitatis Eccleſiaſticæ conſultiſſimus teſtatur, in Canonum collectione Cardinalis Deusdedit nondum edita titulum quemdam legi *ad Julianum Cingulanum Epiſcopum* (3). Baluzius etiam in evolvendis chartis veteribus exercitatiſſimus publici juris fecit laciniam epiſtolæ Pelagii Summi Pontificis *Juliano Cingulano Epiſcopo* inſcriptæ, in qua ei quædam injungit ad Cingulanam Eccleſiam pertinentia; aitque, *iterata frequenter juſſione ab ſe hoc ei præcipi*, *ut omnia fideliter*, *&* *ſtrenue agat*, *nec in aliquo gravari patiatur Eccleſiam ſuam Cingulanam* (4). An in Cingulana Eccleſia ſcribenda, ſcribendoque Epiſcopo Cingulano amanuenſis ſemper, & ſic conſtanter erravit?

IV. Quod ex Cingulo in Latio dubium protulit Martorellius, nimis videtur a longe petitum. Quos Plinius memorat Populos Cingulanos in Latio, ex iis fuiſſe dicendi ſunt, qui ante Rempublicam, imo fortaſſe ante conditam Romam oppidum aliquod in Latio incoluerunt. Quod

(1) *Lib.* 3. *cap.* 5.
(2) Conſule Baron. *ad annum* 550. *num.* 31., *&* 35. Conſule Lab. *tom.* 5. *pag.* 555., *&* 556. *in fine*.
(3) In notis ad Carol. a S. Paulo *pag. mihi* 15.
(4) *Tom.* 5. Miſcel. *pag. mihi* 466.

Quod tamen una cum cæteris, quorum Plinius ibidem mentionem facit, ita excidere debuit, ut rebus Romanorum florentibus nullum foret. Quis enim unquam ejus oppidi inter Scriptores meminit præter Plinium Latii incolas, regnante Evandro, vel etiam, ſi diis placet, Saturno de induſtria commemorantem?

V. Epiſcopos in vicis, oppiduliſque primis aliquot Eccleſiæ ſæculis ſedem habuiſſe, conſentio. Sed id ipſum probandum fuerat a Martorellio, vici ſcilicet, oppidulique formam tunc Cingulum habuiſſe (quod certe minime evincet ex eo quod a Plinio dictum fuerit *oppidum* (1), ut norunt eruditi). Eruditiſſimus certe Fontaninus, ut alios prætercam, tam humiliter, abjecteque de Cingulo non ſenſit (2). Sed ego de dignitate, & præſtantia Cinguli non laboro, cum id extra meam aleam ſit. Id unum ſatis eſt mihi, conſtitutam Cinguli fuiſſe (cujuſcumque conditionis tunc fuerit) Cathedram Epiſcopalem. Hoc enim ſi mihi dederis, neque probaveris Cinguli Eccleſiam honore Epiſcopali a Pontifice Romano privatam, negare non poteris, fuiſſe ſemper Epiſcopalem, & Auximanæ ita conjunctam, ut qui unius, alterius etiam eſſet Epiſcopus.

VI. Sed addit Martorellius, unicus reperitur in tota antiquitate Julianus Epiſcopus Cingulanus. Plures enumerant Cigulani, de quibus infra. Plures probabiliſſime nobis vetuſtas invidit, fato plurimis magnis urbibus [inter quas Auximum] non infrequenti. Sed unus fuerit. Quid inde? Num ideo Epiſcopali Cathedra Cingulum caruit? Num Cathedræ Epiſcopali fundandæ unus ille ſatis eſſe non potuit? Valvenſes Epiſcopi nunquam ſe Sulmonenſes denominarunt. Imo etiam Sulmonenſem Eccleſiam in Valvenſi eſſe Diœceſi Summi Pontifices centies in ſuis litteris affirmaverant. Re tamen ad quæſtionem deducta, contendentibus Valvenſibus Sulmonenſem Eccleſiam non unitam, ſed Valvenſi eſſe ſubjectam, cauſa ceciderunt. Conatus enim Valvenſium omnes infregit unus *Palladius Sul-*

mon-

(1) Servius Sulpitius *in Epiſt. ad* Cicer. Corinthum, Æginam, Megaram, Piræeum oppida dixit. Oppidum pro urbe frequentiſſimum apud Cornelium Nipotem, alioſque &c.

(2) In Conſult. de Eccl. Cing. *num.* 1, , *&* 2.

montinus, quem Sulmonenſes Synodo primæ Romanæ ſub Symmacho anno 499. interfuiſſe docuerunt (1).

Utrum *Theodoſius*, *&* *Sanctus Exſuperantius* fuerint Epiſcopi Cingulani.

VII. Præter Julianum *Theodoſium* etiam, & *Sanctum Exſuperantium* inter ſuos Epiſcopos numerant Cingulani, Coleto non diſſentiente. De Theodoſio non ſolum mihi dubia res eſt, ſed amandata inter plane confictas. Epiſcopum enim hunc unice nobis exhibent acta Sancti Exſuperantii in tabulario Cingulano aſſervata. Quæ cum a Bollando *conſarcinata fuiſſe* dicantur *ab imperito Scriptore* (2), & a Ferrario plura continere *inveroſimilia*, *&* *fabulis proxima* (3), illis ego fidem adhibere non poſſum. Et vero animadverto, ab eruditiſſimo Fontanino, cujus ego auctoritati plurimum tribuo, *in ſua Conſultatione de Cingulana Eccleſia* nullam de Theodoſio Epiſcopo, nullam de actis S. Exſuperantii factam fuiſſe mentionem; ſed utrumque prudenti ſilentio præteritum. Quod mihi magno eſt argumento, ea acta ab ipſo fuiſſe apocryphis accenſita, & Theodoſium ab Epiſcoporum Cingulanorum ſerie deletum. De Sancto Exſuperantio aliter ſentio. Neque enim hunc Sanctum Epiſcopum actis illis debent Cingulani, ſed traditioni longe antiquiori, quæ nullum ab ipſis poteſt capere detrimentum. Factumque puto, ut Sancto Exſuperantio illud ipſum evenerit, quod aliis pluribus, inter quos Sancto Leopardo Auximatium Epiſcopo, quemadmodum obſervavimus proxime, ſcilicet ut XIV. probabiliter ſæculo imperitiſſimus quiſpiam, quibus ætas illa abundabat, ea acta conflaverit, in quibus, cum ex temporum iniquitate, ignorantiaque cuncta tenebris involvente paucula ſupereſſent de Sancto Exuperantio commemoranda, ea ex ingenio ſuo deprompſerit.

Qua ætate vixerit S. Exſuperantius Epiſcopus Cingulanus.

VIII. Qua ætate vixerit Sanctus Exuperantius omnino ignotum. Romam veniſſe ex Africa Paſchaſio I. Summo Pontifice referunt acta. Sed quis iſte Paſchaſius? Sub Theodorico Gothorum Rege labente ſæculo V. floruiſſe Bollandus autumat, conjectura ductus admodum tenui, quod ſcilicet plures eo tempore Epiſcopi ex Africa Romam

(1) Conſule Domin. Georg. de Cath. Set. *num.* 75. *pag.* 101., *&* *ſeqq.*, ubi controverſiam hanc celeberrimam fuſo calamo exponit.

(2) *Tom.* 2. Januar. *ad diem* 11., ubi de Sancto Exſup. *pag.* 602. *&* *in addend. pag.* 1148.

(3) *In Catal. Sanctorum.*

mam venerint ab Arianis ejecti, vel in voluntarium exilium ex Wandalorum odio contra Catholicos; cenſetque Paſchaſium illum, a quo conjectus in vincula dicitur Exſuperantius, non fuiſſe Summum Pontificem, ſed fortaſſe Diaconum Eccleſiæ Romanæ, quem Laurentii Schiſma ſecutum legimus anno 498. (1). Quid vero, ſi pro *Paſchaſio*, detorto paululum nomine, legendus eſſet *Gelaſius*, qui anno 492. Petri ſedem implevit? Sed id eſt divinare.

IX. Quandoquidem poſt Julianum de Cingulanis Epiſcopis altum eſt ubique ſilentium, inferre licet ad ea circiter tempora Cingulanam Eccleſiam Epiſcopis deſtitutam. Quod quidem infortunii genus commune cum fuerit pluribus aliis urbibus, communi etiam cauſſæ tribuendum eſt. Sunt qui luctuoſiſſimam illam peſtilentiam accuſant, quæ per Italiam horrendum in modum graſſata ſic eſt Juſtiniano adhuc Imperatore anno juxta Baronium 565., ut plures urbes incolis vacuas, inaneſque reliquerit (2). Sunt qui Gothorum, & Langobardorum ſævitiæ calamitatem hanc crimini vertant, qui plures urbes incendiis, rapinis, cædibus, vaſtatione in ſolitudinem redegerunt (3). Sunt demum, qui cauſſam utramque copulent, & utriuſque viribus geminatis tot illos acceptos referant urbium nobiliſſimarum occaſus, quorum ego ſententiæ ſubſcribo. Avicennas Urbinas ex MS. quodam, quod Bononiæ aſſerit aſſervari in ædibus Sigoniorum, aliam exponit cauſſam, qua factum fuit, ut Civitas Cingulana ſuis Epiſcopis privaretur: quia ſcilicet, *cum verus Dei cultor Exſuperantius vera juſtitia populum regeret, & iniquos a pravitate retraheret, perverſi Cives in Paſtorem ſuum inſurgentes, & ſævientes ejecerunt eum*. Suſpicor tamen, quod hujus narratiunculæ Scriptor, vel idem ſit, vel ex eodem fonte potaverit, ex quo imperitus ille Scriptor actorum ejuſdem Sancti Cinguli aſſervatorum.

Qua ętate Epiſcopi Cingulani defecerint.

X. Præter Cingulanam etiam Auſinienſem, ſeu Auſinatem cum Auximate Eccleſia coaluiſſe opinatur Fontaninus

(1) Ibidem.
(2) Juſtus Fontan. *In laud. Conſult. de Eccleſ. Cing. num.* 7.
(3) Conſule Procop. de bello Goth. *lib.* 3. *cap.* 10., & de bello Perſ. *lib.* 11. S. Gregor. *Dial. lib.* 3. *cap.* 11., & 13.

ninus (1). Sed id incertum admodum eſt, opinantibus multis Eccleſiam hanc non ejus oppidi fuiſſe, quod *Offagna* nunc dicitur in Auximate Diœceſi, ſed quod Auſina, ſeu Auſinum denominatur, a quo *Auſinates Ciſmontani* apud Plinium (2): quod oppidum eſt perhoneſtum inter Aquilam, Populium, & Pinnam, olim Veſtinorum non ignobilis Civitas (3). Unum ejus urbis habemus Epiſcopum *Gaudentium* nomine, qui inventus repetundarum reus munere Pontificali ſpoliatus eſt a Simplicio Summo Pontifice (4).

(1) *Lib.* 3. *cap.* 12.
(2) Conſule Colet. *tom. X. Ital. ſac. de Epiſc. Auſ.*
(3) Conſule eumdem ibid.
(4) In laud. Conſult. *num.* 8.

L A U S D E O.



100000 , Gravée par L. A. Dupuis


B. de Wallonzey
B. de Merlauvaux
Medgi Bois
Lahage
B. de S. Marie
B. d'Orval
B. de Villers
B. d'Orval
Hermitage la Gde Craniere
Herm. la Pte Craniere
B. de Lahage
B. de Meix
B. de S. Mard
B. Neulimont
Villers devant Orval
Limes
Girouville
Hattoy
Margny
Fagny
Malvoisine
Arpigny
B. d'Andergnies
le Verly
Herbeuval Succ.
Meix devant Virton
Cse du Hayon
Sapogne
Robelmont
Berchiwé
Q
Monlibert
Breux
Houdrigny
Vaux les Moines
Thuillerie
Sommethonne
Villers la Loup
Cense du Grier
Beau Regard
Thonne le Thil
Avioth
Chapelle
S.t Brice
Hyquemine
Belnaux
Thonne
Thonne la Long
Vieux Virton
VIRT
Chen
Moulin de Malton
S.t Anne
Thonnelle
Dampicourt
Couvreux
Harauchamp
le Veru
la Nawe Herm.
N.D. du Mont
P.t Verneuil
Mourquintin
Rouvroy
Harnoncourt
Frenois Succ.
Vaux
Lamorteau
Thonne les Prez
G.d Verneuil
Medy Bas
Ecouviez Succ.
la Morteau
B. Gueville
Forge
les Oeillons
Cloye Herm.
la Haute Radru
MONTMEDY
Ville Cloye
Vigneul
la Vaux
Velonne
Torgny
Mandeville
Jrez les Prez
Espies
Chapelle
Bazeille
Otte
Lanzecourt
Charancy
S.te Helene
Vezin
Bois la Ville
D
Aumont
S.t Montant Hermit
E
Jré le Secq Sucursale
la Higny
la Prelle
Han devant Juvigny
Flassigny
Petit Flassigny
Justice
Flabeuv
Robert
la Maladrie
Villers le Rond
S.t Hilaire
Juvigny
Bois Fralan
MARVILLE
les Capucins
Han devant Marville Suc

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102181986